



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm  
Tomvs ...**

**Łęczycki, Mikołaj**

**Antverpiae, 1650**

Opvscvlvm Decimvmoctavvm. De gloria S. Ignatij.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)







atque ut lucerna hæc in candelabro Ecclesia typo poneretur potestatem feci. Craconia  
6. Julij, 1622.

Sebastianus Nucerinus.



Ontes ex quibus ego Nicolaus Lancicius excerpti hæc quæ in hoc Opusculo ipsismet authorum verbis ac phrasibus narratur, fuerunt accuratè non semel à me Romæ Lecti, processus varij pro Canonizatione SS. Ignatij & Xauerij facti, de folius S. Ignatij vita & virtutibus, sexcenta & septuaginta quinque testium iuratorum, testimonia grauiissima continentes.

Relationes Auditorum Sacræ Rotæ Romanæ, scriptor datæ Summo Pontifici, excerptæ ex variis Processibus autoritate Apostolica factis, pro Canonizationibus SS. Ignatij, Xauerij, Teresæ, Philippi Nerij: & ab Illustrissimis Cardinalibus Sacrorum, vt vocant, Rituum (quibus à Summo Pontifice examinandæ, fuerunt traditæ) receptæ & approbatæ.

Relationes nomine Congregationis Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum factæ in Consistorio secreto coram S. D. N. GREGORIO XV. ab Illust. Card. à Monte Francisco Maria, Episcopo Portuensi, Comæ hoc anno impressæ, super vita, Sanctitate & miraculis SS. Ignatij, Xauerij, Teresæ, & Philippi Nerij.

Res gestæ SS. Ignatij, Xauerij, Teresæ, Philippi Nerij, Caroli Borromæi, Romæ, Neapoli, Salmantica, Venetiis, Madriti, Antuerpiæ, Colonia, Ingolstadt, Dilingæ, Augustæ, & aliis in locis, cum approbatione Superiorum editæ.

Multa quoque à familiaribus & discipulis S. Ignatij & S. Philippi Nerij Romæ audiui de vtroque: sed ex auditis pauca narraui in hoc Opusculo, referuans cætera pro alio Opusc. quod Deo adiuuante si tâdiu vixero cupio scribere, de vita S. Ignatij admirabili Sanctitate traducta, & sanctissimo pariter exitu conclusa. His enim verbis Bulla Canonizationis S. Ignatij vitam & mortem Canonizat: & antea Congregatio Cardinalium sacris Ritibus præpositorum in Relatione data Gregorio XV. & impressa Romæ pro persuadenda S. Ignatij Canonizatione.

## INDEX CAPITVM

### HVIVS OPVSCVLI.

<b>O</b> rcus S. Ignatij & ad meliorem vitam conuersio. CAP. I.	Donum orationis in S. Ignatio excellentissimum. CAP. IX.
Res à S. Ignatio gestæ à sua conuersione ad finem vitæ. CAP. II.	Carnis maceratio in S. Ignatio non vulgaris. CAP. X.
Donum Prophetiæ in S. Ignatio perfectissimum. CAP. III.	Amor insignis proximorum in S. Ignatio. CAP. XI.
Frequentes & multiplices S. Ignatij visiones. CAP. IV.	Amor erga Deum in S. Ignatio perfectissimus. CAP. XII.
Libri, Deo docente, à S. Ignatio conscripti. CAP. V.	Admirandum in S. Ignatio omnium commotionum ac perturbationum Dominium. CAP. XIII.
Dotes gloriosorum corporum, S. Ignatio adhuc viuenti, diuinitus cõcessæ. CAP. VI.	Rara S. Ignatij humilitas & patientia. CAP. XIV.
De S. Ignatij virtutibus ac donis Diuinis in genere. CAP. VII.	Vita S. Ignatij & bona existimatio à Deo miraculose sepius seruata, ac defensa. CAP. XV.
Mira S. Ignatij castitas, & puritas conscientia. CAP. VIII.	

Illustria



*Illustria S. Ignatij adhuc viuentis miracula.* CAP. XVI.  
*Varia miracula à S. Ignatio post mortem edita.* CAP. XVII.  
*De admirabili Sanctitate S. Francisci Xauerij, Socij & spiritualis filij S. Ignatij in eius gloriam redundante.* CAP. XVIII.

*S. Teresa Virgo, magna Sancti Ignatij gloria causa extitit.* CAP. XIX.  
*De gloria S. Ignatij ex S. Philippo Nerio profecta.* CAP. XX.  
*De gloria quam S. Ignatio attulit S. Carolus Borromeus.* CAP. XXI.  
*Quaedam monita Spiritualia S. Ignatij.* CAP. XXII.

Index rerum particularium huius Opusculi & aliorum ordine alphabeti ponetur in fine totius voluminis.

COMPENDIUM VITÆ.

S. IGNATII DE LOYOLA

FVNDATORIS SOCIETATIS IESV.

CAPVT PRIMVM.

*Ortus S. Ignatij, & ad meliorem vitam conuersio.*



Natus est S. IGNATIVS in ea Hispaniæ parte, quæ ad Pyrenæum pertinet, & Cantabria nominatur, Anno 1491. Patrem habuit Bertrandum Iannez, Ognès, & Loyolæ Dominum, illustris atque antiquæ Familiæ: Matrem legitimo marito æqualem virtute ac nobilitate, Mariam Sanchez, claris ortam parentibus, Baldæ Dominis. Quæ duæ in Cantabria Familiæ, earum sunt è numero, quæ Magnæ appellantur apud Hispanos. His ortus Parentibus S. IGNATIVS, cum esset eximia & animi & corporis indole, in Curia Ferdinandi Regis Catholici, inter honorarios pueros aliquandiu versatus, bellicæ laudis appetens, ac Antonium Manticum Navaræ Ducem, Protegem Navarræ, cum quo Loyolæ genti necessitudo vetus intercedebat, sese contulit, ac rei militari operam dare cepit. Sed cum ab exercitu Gallorum, arx Pampilonensis, Navarræ caput, oppugnaretur, cuius defensionem IGNATIVS suscepit, ei ante alios dimicanti, lapis ex muro vi bombardæ excussus, lævam læt tibiâ, dexteram verò ad eò confregit, vt semitius corruerit, feriâ secundâ Pentecostes, 26. Maij, 1521. Strato IGNATIO, arx à Gallis capta: IGNATIVS ab iis honorificè tractatus, curatus, remissusque ad suos, cum lecto affixus, fallendi temporis causa, librum aliquem profanum sibi dari iussisset, duo ei libri traditi sunt, quorum alter Christi Domini, alter Sanctorum vitas continebat. Eorum lectione, tam ardentem incensus

est, vt decreverit mundum relinquere, Christi ac Sanctorum vestigia sequi, Hierosolymam proficisci, vt ibi fideles promoueret in spiritu, infideles verò ad Euangelium adduceret.

CAPVT SECVNDVM.

*Res à S. Ignatio gesta, à sua conuersione ad finem vitæ.*

CVratis vulneribus S. IGNATIVS, parentes, Cres omnes mundanas, valde licet repugnante germano fratre, reliquit, & Christo deinceps militaturus, ad Monasterium Montis Serati, Ordinis S. Benedicti, perrexit, ibique generali Confessione (cuius tunc vsus propè incognitus erat) repetita, gladio & pugione, quibus antea mundo meruerat, in templo eiusdem Monasterij suspensis, tunicâ talari asperâ indutus, fune præcinctus, capite nudo, totam eam noctem, cui dies festus Angelicæ Salutationis illuxit, peruigilante aram SS. Virginis Mariæ, diuino se cultui consecrauit, Anno 1522. Inde digressus, faciens dignos poenitentia fructus, in Hospitali Minorellano, & in specu ad litus fluminis per campum Minorellanum decurrentis, Romam venit Anno 1523. vbi ab Adriano VI. Pontifice, Apostolica benedictione suscepta, Hierosolymam contendit. Sed cum ibi remanere, & animarum saluti operam nauare, ob pericula Turcarum impendentia, vetitus fuisset, in Hispaniam redijt, vbi, quò melius securusque in spiritualibus rebus proximis posset vilitatem afferre, triginta iam annos natus, primò Barcinone Grammaticæ, deinde Compluti per annum & dimidium, Philosophiæ ac Theologiæ, studuit: tandem Parisijs, omnia illa studia



dia repetijt, ferè per octennium; ex eleemosynis  
 visitans, & officia charitatis, humilitatis ac pen-  
 nitentiæ, non intermittens. Parisijs sanctæ vitæ  
 exemplo, precibus & pijs colloquijs, nouem fo-  
 cios, & inter eos S. FRANCISCVM XAVERIVM,  
 collegit; virtute ac ingenio doctrinaque illu-  
 stres: atque vnâ cum ipsis huiusmodi se voto  
 obstrinxit, vt absolutis studijs, & rebus omni-  
 bus contemptis, Hierosolymam peterent, ibi-  
 que se animarum procurandæ saluti totos tra-  
 derent; quod si per annum nauigandi se non  
 offerret occasio, vel Hierosolymis permanere  
 prohiberetur, illo voto iam absoluti, Romam  
 irent, & suam ipsorum operam, Summo Pon-  
 tifici ad auxilium spirituale proximorum de-  
 ferrent. Verùm cum ex studiorum laboribus &  
 vigilijs, grauem stomachi morbum Parisijs cõ-  
 traxisset, Doctoris laureâ, post rigidissimum ex-  
 amen, sponte quæsitum & impetratum, in illa  
 Vniuersitate cum socijs, ornatus, iussu Medico-  
 rum, & Sociorùm consilio, in patriam redijt. Ibi  
 varijs miraculis editis, cum conualuisset, Vene-  
 tias, quo socij ex composito venire debebant,  
 etiam ipse profectus, in ea Vrbe ad Sacerdo-  
 tium promotus est. Sed elapso iam anno inter  
 Socios conditio, & nauigatione in Palæstinam,  
 (propter pacem inter Turcas ac Venetos per  
 id tempus sublatam) interclusa, Romam cum  
 Socijs venit, initio anni 1537. Romæ Summo  
 Pontifici suam obtulit operam, ad proximo-  
 rum salutem. Pontifex collaudatis pijs Patrum  
 studijs, duobusque S. IGNATI Socijs prælegē-  
 dis S. Scripturæ, & Theologiæ, Scholasticæ le-  
 ctionibus publicis, in Vniuersitate Romana  
 (quam vulgò Sapienciam vocant) applicatis,  
 per S. IGNATIUM, eiusque spiritualia Exercitia,  
 iuuit plurimos. Interim S. IGNATIUS Societatem  
 Iesv, ad fidei defensionem propagationemque,  
 atque ad animarum fructum instituit, & à Se-  
 de Apostolica confirmari curauit, Anno 1540.  
 & in Societate Iesv, præter tria vota cum alijs  
 Religionibus communia, quartum adiunxit,  
 quo promittitur Obedientia Summo Pontifici,  
 eundi etiam sine viatico ad infideles & Turcas,  
 propter salutem animarum. Exinde Constitutio-  
 nes eiusdem Societatis condidit, admirabili-  
 bus diuinis luminibus (de quibus suo loco di-  
 cetur) illustratis. Et cum Sociorùm omnium  
 vnanimi consensu, Præpositus Generalis ele-  
 ctus esset, Societatemque cum summa pruden-  
 tiæ & sanctitatis laude, annis quidecim, mensi-  
 bus tribus, ac diebus nouem, gubernasset, & So-  
 cios suos per vniuersum Orbem terrarum, cir-  
 citer mille distribuisset, in centum ferè domi-  
 cilijs, non tantùm in Italia, Hispania, Gallia,  
 Germania; sed etiam in Orientali & Occiden-  
 tali India, Iaponia, Brasilia, Ethiopia, Persia, in-  
 numeris hominibus per se, & suos, ad veram  
 fidem ac pietatem conuersis; multis rebus ad S.  
 Ecclesiæ bonum institutis, frequentia sacrarum

Concionum, Lectionum, Missarum, Confessio-  
 num ac Communionum, diaboli fraude iam  
 pridem extinctâ, Romæ primùm, deinde in a-  
 lijs Orbis vniuersi regionibus introductâ, &  
 noua quadam vniuersæ Ecclesiæ luce allatâ,  
 plenus meritis, Apostolica benedictione & Sa-  
 cramentis ritu Catholico munitus, IESVM inno-  
 cans, leuissima febricula extinctus, placidissimè  
 spiritum Deo reddidit, Anno Domini 1556. vl-  
 tima Iulij, ætatis 65. virtutibus ac miraculis, tū  
 in vita, tum post mortem, aliisque admirabili-  
 bus, & valde raris Dei donis, (de quibus iam  
 agendum erit,) ornatus.

## CAPVT TERTIVM.

*Donum Prophetiæ in S. Ignatio perfectissimum.*

CVM prophetiæ donum cum virtutibus  
 collatum diuinis, inter infima sic sanctita-  
 tis ornamenta; ideoque sine gratia & amicitia  
 Dei esse possit; ab eo ordiri placuit Sanctimonie  
 Sancti IGNATI commendationem. Quoniam  
 verò Prophetico lumine, remota à Propheta-  
 rum sensibus solent cognosci; & multo post  
 futura, verissimè prædici; & secreta humano-  
 rum cordium introspecti; & quod his omnibus  
 maius ac mirabilios est, ipsius Dei arcana, om-  
 nem humanæ intelligentiæ facultatem ex-  
 cecidit, certissimè intelligi; hæc omnia S. IGA-  
 TIVS in gradu habuit eminentissimo. Primo  
 statim anno à conuersione, S. IGNATI mentem  
 cælesti lumine Deus illustrare cepit admirabi-  
 liter. Cum enim religionis causa, Adem S. Pauli  
 Apostoli extra Oppidum Minoreffam peteret,  
 & in ipso itinere ad Rubricatum amnem, qui  
 Minoreffam interfuit, constitisset, nec opinanti  
 repente diuina quedam oborta lux est, tanta  
 tamque mirifica, vt momento penè temporis,  
 nullo magistro, quam plurima clarè perspexerit,  
 non solum de fidei Christianæ mysterijs, verum  
 etiam de alijs, vel subtilissimis Philosophorum  
 quæstionibus atque decretis, quasi nitidissimo  
 quodam in speculo perspicè cerneret ea, quæ  
 post multam accuratamque lectionem, maxi-  
 mosque labores ac vigilias, vix demùm solent  
 homines intelligentiâ comprehendere: atque  
 in eo cælesti profus intuitu, non sine summa  
 animi voluptate diutius acquieuit. Rursus per  
 significationes arcanas: & mystica quedam ex-  
 empla, oblati est eius menti modus ipse, què  
 in huius vniuersi molitione summus ille re-  
 rum opifex tenuit: quas illustrationes atque do-  
 ctrinas, vt omnino vites naturales excedunt, sic  
 postea negabat S. IGNATIUS posse verbis ad-  
 brati, ne dum exprimi. Atque eius generis per  
 id tempus, planè diuinitus alia multa percepit.  
 Quibus diuinæ clementiæ subsidijs, in recta fi-  
 da



de usque adeo confirmatus est; ut etiam si nulla extitissent Christianæ religionis monumeta vel testimonia, nequaquam tamen dubitasset, ex ijs tantummodo, quæ Deo sibi aperiendo cognoverat, mortem pro defensione Catholicæ veritatis oppetere. Quare merito S. IGNATIUS illud S. Pauli Apostoli usurpare potest: *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem IESU Christi.* Quem fidei S. IGNATIO adhuc literarum ignaro, diuinitus infusum modum extraordinarium, & Sacræ Rotæ Auditores, & Cardinales SS. Rituum in Relatione Summo Pontifici facta, obseruauerunt. Deinde post studiorum exactum curriculum, & Venetijs, & in Vicetino secessu, & in Romano itinere, tam crebra diuinitus lumina, tam liquidas animi voluptates percepit; ut in antiquum statum illum Minorellanum, (quem postea, ob singularem & eximiam illius temporis in se Dei benignitatem, religioso ioco, primitiuam suam Ecclesiam appellare consueuerat,) non solum ex integro, sed etiam cum fenore sibi restitutus esse videretur. Constitutiones Societatis scribens, tum de alijs rebus, tum potissimum de SS. Trinitatis mysterio diuinitus sapè illustrabatur: de Diuina essentia, de distinctione & proprietate personarum, tam continua, excellenti, & abstracta à sensibus intelligentia, ut idem ipse in authographo libello, qui post mortem eius repertus est, dicat, fieri non potuisse, ut multorum annorum studijs parem consequeretur. In alio item scriptum reliquit, videri sibi in hac vita, maiorem se habere non posse, eam quam sibi Deus, in quadam visione patefecisset. Quæ tot tantæque notionis cum incredibili incunditate coniunctæ, non ad exigui temporis fructum, sed ad dies sapè complures, hæere eius pectori consueuerant: ut quocumque ingrederetur, ex comites sequerentur, cum eoque siue in cubiculo, siue in cœnatione, siue apud suos, siue apud alienos semper habitarent, & quodammodo pernoctarent: quarum æstu magnitudineque sic absorbebatur, & à seipso peregrinabatur interdum, ut similis esset hominis, qui corpore terras coleret, mente cælum. Primò quoque post suam conversionem anno, dum Minorella commoraretur, res præcipuas Societatis IESU à se postea instituendæ; eas præsertim, quibus ea à cæteris Religiosis Ordinibus distinguitur, Deo reuelante didicit: quem admodum & P. Iacobo Layni, vni è primis Socijs, ipsemet palam fassus est, & alijs grauissimis Patribus indicauit. A quibus cum rogaretur, quam ob causam hæc & illa, à more aliorum Ordinum discrepantia, in Societate constituisset, eorum singillatim rationibus redditis, ad extremum, rationum omnium summam, solebat referre ad eximiam mentis illustrationem Minorellæ diuinitus acceptam, & ad Minorellanum secessum, in quo præcipuas harum rerum notionis à Deo im-

pressas, & quasi consignatas in animo suo acceperat.

Discedens ex Hispania S. IGNATIUS, & Ioâni Paschali, tunc adolescentulo, pia in reliquam vitam dans præcepta, petenti quid secum futurum esset: bono, inquit, animo, esto fili, vbi adleueris, vxorem duces, multisque incommodis afflictaberis, quæ te solui delicias, & in auxilio diuino implorando torpere minime patientur. Dictis euentus respondit. Vnum è Socijs vitæ solitariae amore captum, de Societate deserenda cogitantem, spectroque diuinitus immisso perterritum, Deo reuelante cognouit. Petro Ferro Patauino, infirmo, sine spe humana sanitatis iacenti, omnia a seueratione prædixit, breui eum à Dei Matre sanandum. Et ita nocte insequente, totis sensibus vigilanti ægroti, Dei Mater nobili Virginam stipata choro apparuit, eundemque sua imagine tradita, sanauit. Postridiè reuersus IGNATIUS hilari præter solitum ore, noui non ignarus euenti, Petrum sanum inuilit, subiecitque: Nonne ego dixi, fore, ut Dei genitrix te sanaret? Mortem Agnetis Paschaliæ, Barcinone sanctissimè obitam, Romæ Dei moniti præsentit, ut litteræ Antonij Araozij, qui morienti viduæ adfuerat, nihil ei super illa re noui postmodum attulerint. Antuerpiæ multò ante Societatem fundatam, Petro Quadrato Hispano, tunc adolescenti prædixit, eum fore Fundatorem Collegij Societatis IESU. Et ita euenit, fundauit enim cum Francisca Manionia vxore, Collegium Societatis, Methymnæ. Simonem Rodericum periculoso morbo correptum, prædixit verissimè, e morbo euasurum. Quidam haud ita pridem in Societatem receptus, cum ex imposito sibi munere tantâ molestiâ afficeretur, ut somnum capere vix posset, ac de repente sæculo cogitaret, S. IGNATIUS rem diuinitus odoratus, adolescentem nocte in tempesta è lectulo vocari ad se iussit, omnesque illi obstupescenti, sensum eius animi recessus, ac larebras patefecit, simul & perturbationes, admirabili dextertate sedauit.

Eodem charitatis officio erga alios quoque multos, pari perspicacitate perfunctus est; qui cum suos morbos propter inscitiam aperire nõ possent, vltro ijs ipsemet ante, medicinam, & genus agitudinis, & causas detegebat. Stephanum Baroellum periculose ægrotantem, non moriturum ex eo morbo, prænucciatur; qui haud ita multò post, non sine magna omnium admiratione conualuit.

Cum Socij Venetijs magna aduersariorum potentia validè premerentur, ac penè ab incepto desistere decreuissent, S. IGNATIUS admonitus de periculo à Socijs, respondit, Christi causam ne desererent, eodem adiuuante voti compotes fore: nec vana fuere promissa, quippe octauo post die, causa nostris ad iudicatum est in Senatu, cunctis ferme suffragijs, atque à pe-

ritis



ritis rerum æstimatoribus, non leue miraculum est habitum, in eiusmodi Ciuitate, à duobus ignotis & peregrinis S. Patris Socijs, ijsque Hispanis, clarissimorum ciuium opes & gratiam superatam fuisse.

Franciscum Borgiam Gandiæ adhuc Ducem, & P. Iacobum Laynez, prædixit, Societatis Iesv Præpositos Generales futuros. Michaëli Arrouire tunc adhuc inueni, occultissimas cordis cogitationes de Matrimonio ineundo detexit, simul & calamitates subsequuturas, certo euentu comprobatas. Omitto alia exempla Prophetici luminis, quia breuitas Compendij, plura referre non permittit.

## CAPVT QVARTVM.

*Frequentes & multiplices S. Ignatij visiones.*

ET cælestia visa, ad quamdam luminis Prophetici speciem, spectare videntur, ideo hoc loco commemoranda sunt, ex quibus quamuis sanctitas Dei seruiorum petenda non sit, cum sine ijs soleat esse, & possit: quia tamen eæ quoque sunt ornamentum quoddam sanctimonie, commemorandæ sunt; nam & his quoque, & quidem in gradu altissimo, qui in hac vita haberi possit, S. IGNATIUS plenus fuit.

Prima S. IGNATIÏ visio fuit S. Petri Apostoli, deploratam à medicis eius valetudinem, diuinis adferentis. Quem enim Diuina Maiestas elegerat, in Ecclesiæ suæ propagatorem, ac defensorem acerrimum, conuenienti diuinæ prudentiæ modo, per Ecclesiæ suæ primum post Christum Pastorem ac Principem, sanari voluit. Paterna in domo ægrotanti, nocteque quadam vigilianti, augustissimâ specie, ac beatissimo lumine fulgens Maria Virgo, vna cum paruulo IESV, non modò sese palam ostendit; verum etiam incredibili benignitate spectandam, aliquamdiu præbuit. Quo viso mirificè recreatus IGNATIUS, tantum repente odium fastidiumque concepit eorum, quæ apud cæcos mortales prima putantur, ac præsertim quæ cum inhonestâ voluptate coniuncta sunt, vt omnes rerum illatum, quamuis diuturno vsu ac vetustate corroboratas imagines ex hominis memoria, confestim aspectus ille deterferit.

Sæpiissimè item eadem Dei Mater S. IGNATIÏ, præsertim eo tempore, quo Constitutiones Societatis Iesv scribebat, sese videndam præbebat, vel pro illo orans, eumque sua præsentia recreans, vel Societatis Constitutiones confirmandas.

Frequentissimè item D. IESVS eundem dulcissimâ suâ præsentia solari dignatus est, & Minorellæ, & alijs in locis. Cum Venetias contendens, à comitibus itineris, in campis circumpa-

danis destitutus esset, eò quod præ imbecillitate, haud ita æquaret gradus, Christus Dominus proximâ nocte sese illi, quemadmodum antea sæpè fecerat, visendum obtulit, recreatumque mirificè, intra ipsa Patavina mœnia primùm, deinde Venetias, sine vllò errore aut difficultate, perduxit.

In navigatione quoque Hierosolymitana sese illi non semel ostendit, eumque magnopere confirmauit, ac denique incolumem ad portum Palestinæ perduxit. Hierosolymis, cum ab Armenio quodam asperè admodum increparetur, deinde immissa manu & brachio ferocissimis apprehensus, ad diuersorium traheretur; inter eas contumelias Christum sibi præsentem, & vsque ad hospitium præuentem, incredibili quodam genere consolationis, aspexit.

Romam, ad Societatem fundandam, duobus cum Socijs venienti, orandi causa, non longe ab Vrbe templam ingresso, qualia passim imposita militari viæ cernuntur, statimque vt sæpè solebat, abstracto à sensibus, atque alta quadam animi contemplatione defixio, clarissima in luce, per speciem illi sese Deus Pater ostendit, Iesv filio baiulanti crucem, & crudelissimis affecto supplicij, præsentem IESVATVM, Sociosque commendans: quos ille, eum in fidem ac patrociniū libentissimè recepisset, ad IGNATIVM placido ac sereno vultu conuersus, hæc ipsa effari verba dignatus est: *Ego vobis Roma propitius ero.* Atque id ipsum vel imprimis causâ fuit, cur S. IGNATIUS confirmatæ postmodum Societati, salutare possimum Iesv nomen indiderit.

Sed & ipsarum diuinarum personarum, modò omnium simul, modo aliquarum tantùm, & ipsius Diuinæ essentia, frequentissimis visionibus, mentem illius illustrari fuisse solitam, præsertim in Sacrificio Missæ, & eo tempore, quo Constitutiones Societatis Iesv scribens, diuinæ sapientia lumen approbationemque querebat, eius vitæ Scriptores affirmant, & euidenter apparet ex sat magno libello eius visionum, quæ pietatis & memoriæ causa in Ephemeridem retulit: quæ in eo adeo fuerunt illustres, & ipsa Diuinæ essentia intima arcana penetrantes, vt non dubitârunt hoc sæculo viri quidam doctissimi, Theologiæ Scholasticæ & Mysticæ Doctores, toto Orbe notissimi, in editis libris afferere, si vera est ea sententia, quam cum S. Thoma, alijsque primatijs Ecclesiæ Patribus plerique sequuntur, adhuc in hac vita, clarè, & non per speciem, more beatorum, etsi ad breue tempus, visam esse Diuinam essentiam à Moyse & Paulo Apostolo; & vt alijs recentiores quidam putârunt, à S. Augustino, S. Benedicto, & B. Egidio S. Francisci comite; etiam non improbabiler tribui posse S. IGNATIÏ, claram Dei visionem in hac vita, qui verbis disertis ipse de se manu propria, dum leges Societati præscriberet, scriptum reliquit, visum à se non semel ip-



sum Diuinum esse, ipsamque Diuinam essentiam. Et cum nondam literas didicisset, tamen sublimi ratione, per visionem intellectualem, de unitate essentiae, & personarum Trinitate adeo instructus est, ut homo idiota, librum de Trinitate scripserit, suae conuersionis initio.

Huc referenda est celeberrima S. Spiritus visio, qui S. IGNATIO Constitutiones Societatis condenti, tum alio modo, tum ut olim Apostolis, modo insolito, in flamma ignea saepe apparuit.

Sed & Sanctorum Angelorum, ac beatarum animarum apparitionibus, non semel purissima S. IGNATI mens recreata est.

Cum in Callinati monte, Exercitiis Spiritualibus excoleret ad pietatem, Procuratorem Caesaris, Petrum Ortizium, & pro salute B. Hozij socij sui, (quem grauius aegrotare cognouerat,) Domino supplicaret, repente vidit in spiritu (quod ipsum ibidem S. Benedicto fertur olim in obitu Germani Episcopi contigisse) animam socij, luce clarissimam radiantem, deducentibus Angelis in sublime ferri, atque ipsa demum caeli beatissima regna conscendere.

Eidemque S. IGNATIO paulo post, dum ad rem Diuinam accedit, in ipso Missae introitu, Sanctis omnibus rite appellandis, lucidissimum caelestium agmen subito apparuit, sic, ut in ijs B. Hozium, eximio fulgore micantem, sine vlla dubitatione dignosceret. Qua ex utraque visione tanto est gaudio delibutus, ut multos dies praedulcedine lachrymis temperate nequiecit.

Cum Ioannes Codurius e primis Patribus vnus, e graui morbo in vltimum vitae periculum esset adductus, ad rem diuinam pro eius salute faciendam S. IGNATIUS, aedem S. Petri in Monte Aureo petijt: cum ad medium ferè peruenisset pontem Ianiculensem, (qui Sixti pons hodie dicitur;) sublatis interitisque repente in caelum oculis, animam Codurij conspexit luce coruscantem, in caelum, inter choros Angelicos deportari, deinde conuersus ad comitem Baptistam Violam: Domum redeamus, inquit, Codurius noster migravit e corpore.

Alio quoque tempore Societatis Constitutiones scribenti, Sanctos cum Deo regnantes, tali modo sese ostendentes aspexit, quem se explicare posse negabat.

Saepe etiam, non internis tantum mentis auribus, sed externis quoque, caelestis musicae concentus suauissimos audiebat, dum Societatis Constitutiones scriberet; quorum harmonia ineffabili, totus dissoluebatur in lachrymas, ac caelesti amore feruebat.

Cum Sacrificio Missae interesset, primo post suam ad Deum conuersionem anno, in templo PP. Praedicatorum, dum a Sacerdote salutaris hostia attolleretur, apertissime vidit, illa specie, Christum Deum eundem & hominem, verissime contineri.

Scribens Constitutiones, dum sacram Hostiam consecrasset, scriptasque Societatis leges Domino offerret, vidit Deum Patrem valde sibi propitium ac benignum, certo quodam signo indicantem, gratum sibi esse, ut pro eo, Virgo Deipara oraret, statimque Virgo Sanctissima S. IGNATIO apparuit, Patri caelesti IGNATIUM commendans, suamque carnem in carne filij sui, in S. Eucharistia praesentis, esse demonstrans.

## CAPVT QVINTVM.

*Libri, Deo docente, a S. Ignatio conscripti.*

Librorum quoque aliquot, a S. IGNATIO, non sine diuino magisterio conscriptorum, commemoratio, tamquam effectus & appendix quaedam prophetici luminis, hoc loco ponenda videtur. Quamuis autem omnia S. IGNATI scripta & epistolae, caelestem quandam sapientiam, humanam, & modis ordinarijs acquisitam, maiorem redolent; in aliquot tamen libris, a S. IGNATIO editis, illa magis apparuit.

Primus liber, quem S. IGNATIUS primo anno post suam conuersionem, adhuc Grammaticae ignarus conscripsit: fuit de SS. Trinitate octoginta ferè foliorum. In eo, post admirabilem illam SS. Trinitatis visionem, de qua capite praecedenti egimus, ita hoc admirandum mysterium, quoquo potuit stylo, magna atque insolita similitudine, & exemplorum varietate ac copia, expressit, ut cuncti, quibuscum hac ipsa de re agebat, obstupescerent.

Alter circa idem tempus liber, ab eo, adhuc literarum ignarus, scriptus est, Deo ipso reuelante, ac Beatissima Virgine Maria docente, Exercitiorum Spiritualium: in quo miram planè sapientiam ac methodo, praeter alia multa salutaria monita, varios orandi ac contemplandi modos, ad morum rectam institutionem, ac in virtutibus progressum, accommodatos praescribit: & rationem tradit examinandi conscientiam, vitia extirpandi, dignoscendi graua à leuibus peccata; prauos animi affectus compefcendi; boni ac mali spiritus motiones discernendi; certum vitae statum eligendi; electum ad normam diuinæ voluntatis dirigendi; scrupulos abigendi; denique illustria proponit praeccepta, ad spirituum discretionem spectantia. Hic liber ille est, qui primos Societati socios peperit, & in eis S. FRANCISCUM Xauerium: qui vitis illustribus caenobia multa referat; multos religiosos viros, labantes, in suscepro vitae consilio confirmavit; solutos vagosque, vinculis seuerioris disciplinae adstrinxit. Omnis denique status Secularis, & Ecclesiastici homines innumeros, ubique terrarum, vel ad perditae vitae emendationem,

rem,



nem, vel ad bonæ incrementa perduxit: quorum è numero, vt alios minus illustres omittam, primo ponendus loco videtur, clarissimum illud S. Ecclesiæ lumen, & idæ Pastorum omnium, S. CAROLVS BORROMÆVS Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis; qui ipsa suæ melioris vitæ initia ex his S. IGNATII Exercitijs hausit, quæ deinde ad eum adamauit, totaque vita coluit, vt primis annis semel quotannis, deinde vsque ad mortem bis in anno iteratis, illis se ad omnem virtutem ac sanctimoniam, & sanctissimam suæ Ecclesiæ gubernationem, excitare solitus fuerit, ipsidemque se ad vltimum agonem ad mortem præparauerit. Quare mirum non est, viuente adhuc S. IGNATIO, hæc Exercitia, & ab ijs quibus eorum examen commissum fuerat, fuisse mirifice commendata, & à Paulo III. Pontifice Maximo, Apostolico diplomate confirmata, ne apice quidem mutato, & tanquam pietate ac sanctitate plena, & ad spiritualem profectum vtilia ac salubria, collaudata: & à Sacræ Rotæ Auditoribus, atque à Cardinalibus SS. Rituum agnita, tanquam non ex humano magisterio, sed ex lumine supernaturaliter infuso, profecta.

Tertius liber à S. IGNATIO, tunc dum eum scriberet, tot cælestibus luminibus, visionibusque, cælestibus admirabilibus, vt supra dictum est, diuinitus illustrato, editus est, Constitutum Societatis Iesv, in decem partes distributus, longè maior cæteris: qui etiam Hæreticorum iudicio, in quorum manus non raro incidit, si fidei dogmata & Ecclesiasticas cæramonias demas, admirandus, & omni humana prudentia maior, idæamque perfectissimæ, ac numeris omnibus absolutæ Reipubl. continens, estimatus est; & à sanctissimis viris simul ac doctissimis, mirè ob diuinam planè in eo sapientiam reconditam, totiusque Christianæ ac Religiosæ perfectionis doctrinam plenissimam, iudicatus est summè suspiciendus, ideoque meritò ab aliquot Summis Pontificibus approbatus.

## CAPVT SEXTVM.

*Dotes gloriosorum corporum, S. Ignatio adhuc viuenti, diuinitus concessæ.*

ET piè, & ingeniosè, graues quidam Ecclesiastici Scriptores, inter certa veræ Christi Ecclesiæ signa reponunt, dotes gloriosorum corporum, multis S. Ecclesiæ membris, vitæ sanctimoniam illustribus, aliquâ ratione pro statu vitæ præsentis, diuinitus concessas, inter quos etiam S. IGNATIUM nominatim recensent.

Dotem claritatis mortale adhuc S. IGNATII corpus, diuino illustrasse beneficio, multorum grauisima testificatione comprobatum est.

Sapissimè enim visa est eius facies & caput, eximio quodam fulgore splendescens. Ita visus est Barcinone ab Izabella Rosella, dum faciei plebis immisit, concionem in templo audiret, & à Ioanne Paschalis, & in hospitali domo decumbens à domesticis. Romæ verò ab Alexandro Petronio, à P. Oliuero Manarzo, à P. Ludouico Gonzaluo: qui quotiescunque orantem S. IGNATIUM in cubiculo adijt, quod fecit sapissimè, cælesti splendore radiantem semper conspexit. Sanè S. Philippus Nerijs, vitæ eximie sanctitatis, & familiaris S. IGNATII, eam fuisse B. IGNATIUM sanctimoniam dicere erat solitus, vt animi eius interior pulchritudo foris promicaret; in cuius oculis vultuque, conulescentes lucis radios, sæpè ab se visos esse profiteretur.

Dotem impassibilitatis in S. IGNATIO demonstrat, illa integrorum septem dierum aliquoties iterata, sine vilo protus cibo & potu, inedia, aut cum vehementissimo raptu (qui solus mirum in modum solet corporis vires roburque atterere) vel cum terna quotidie diuerberatione corporis, multarumque horarum precibus, genibus flexis, peractis, coniuncta, idque sine vlla corporis debilitate.

Subtilitatis dotem quandam diuinitus accepit, quando vno eodemque tempore, in aspectabili corpore, duobus in locis, plusquam nongentis millibus passuum inter se distantibus, oculis ipsis visus est, & Romæ, & Coloniz, adhuc viuens; quemadmodum Cap. 16. narrabitur.

Agilitatis denique dotem in S. Ignatio præfert, quod frequenter à terra sublimis visus est, dum Diuinum numen oratione placaret.

## CAPVT SEPTIMVM.

*De S. Ignatij virtutibus, ac donis diuinis in genere.*

ANtequam singulæ S. IGNATII virtutes, ac dona ei diuinitus concessa, compendio attingantur, adferenda sunt aliqua de eius virtutibus ac donis diuinis in genere, quæ demonstrabunt, ad raræ admodum & valde excellentem vitæ sanctimoniam, eum à diuina dextera euectum fuisse: vt tantò aptius instrumentum existeret, ad tam multa bona, in vniuersam Christi Ecclesiam, derivanda. Sicut autem diuina prouidentia, ad solatium & vtilitatem S. Ecclesiæ, alios insignes Sanctos, vt in eorum historijs legimus, sine vilo humilitatis præiudicio impulit, vt occultissima, & insignia dona cælestia, candidè, & summa animi demissione, familiaribus suis, ob finem aliquem bonum narrarent; ita eadem è S. IGNATII arcanis depromptis, & ex eius



veridico ac mirè circumspècto ore , nonnulla elicit indicia & argumenta, admirabilem Dei fauorem: quorum hic aliqua ponentur. Solebat S. IGNATIUS diligentissimam dare operam, vt in dies magis ac magis in virtutibus proficeret, & quidem eo fine, vt quàm maximam semper Diuinæ Maiestati gloriam exhiberet. Idè iuxta consiliū S. Chrysofolomi; & S. Ioannis Climaci, more bonorum trapezitarum, presentem diè cum hesterno conferebat, & cum profectu profectum. Et quamuis non parum sit, sanctè viuentem, à primis feruoribus non tepescere; maius verò etiā non semper, saltem per interualla, in virtutibus progredi; maximum, assiduè & continuè proficere: S. tamen IGNATIUS, non tantum quotidiè proficiebat in probitate, sed præsentis diè profectum, cum præterito conferens, inueniebat & agnoscebat, longiùs se quotidie progressum, & ardentioribus in diuino obsequio inflammatum studijs: vsque ad eò, vt suum illum Minorellanum statum (in quo mirabilibus Dei donis ornatus & illustratus fuit, vt paulò ante vidimus) extremà iam ætate appellaret, prima rudimenta, & quasi lineamenta, quæ quotidie in se Deus expoliret atque perficeret. Ita & in S. IGNATIO locum habuit certa S. Thomæ doctrina, 2. 2. q. 161. art. 3. dicentis: *Illos qui dona Dei participant, cognoscere ea se habere secundum illud Apostoli, 1. Corinth. 2. Vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Idè què meritò S. virgo Terefia vitæ suæ, cap. 10. falsam appellat humilitatè, quæ non cognoscit dona Dei.

Eandem virtutum in S. IGNATIO excellentiã, & hoc demonstrat, quòd tantam Dei erga se misericordiam experiretur & suauitatè; vt quo plus ipse deficeret, atque emendationem perciperet, eo Dominus liberalior in ipsum esset, & dulcedinis suæ thesauros largiùs effunderet. Itaque candidè dicebat, persuaderi sibi non posse, hæc duo simul coniuncta; in villo hominum ita reperiri, vt in se, vt in Deum videlicet æquè quis esset ingratus, & à Deo tam multa, tam què magna beneficia quotidie acciperet. Accedit ad hoc, quòd Andreas Frusius, S. IGNATIUM intimus, quem ipse Ignatius, alijs què noti, ob innocentiam vitæ singularem què sapientiam, Angelo simillimum iudicabant, solebat dicere, caelestem Christi gratiam in Ignatio; quasi ingenitam, eique connaturalem videri. Ad eò constanter, vbique ac semper, adeo què facile, modum virtutem què seruabat. Alij verò domestici viri, excellenti iudicio pollentes, diu consideratis curiosè omnibus S. IGNATIUM moribus, & ipsis minimis corporis motibus, admirati miram eius in omnibus sanctimoniam, dicebant, verè & re ipsa, & ad viuum expressam esse in eo, omnem illam perfectionem, quæ tum in Constitutionibus Societatis à S. IGNATIO conscriptis, tum in aureo illo libello Thomæ de Kempis, de Imitatione Christi, legitur; & in libello Exercitiorum

Lancij Opusc. Tom. 2.

Spiritualium. Vnde solebat dicere P. Ludouicus Gonzalez, Regis Lusitanæ à Confessionibus, vir summi iudicij & prudentiæ: Conuersari cum IGNATIO, non esse aliud, quam videre librum Thomæ de Kempis, (quem alijs Gersonem appellant) factis ac motibus expressum.

Cum P. Ioanni Polanco viro grauissimo, quo ad epistolas utebatur, quædam de se narraret ad Polanci instructionem, & is candidè interogasset, num vanam gloriam metueret talia narrando: S. Pater respondit, se nullum vitium timere minùs vanà gloriã; & addidit: Certò scias Polance, me ex mille partibus Dei donorum, mihi diuinitùs concessorum, ne vnã quidem narrare, ob incapacitatem eorum, qui me audire possent. Et tamen nimis compertum est, S. IGNATIUM habuisse socios & familiares, præclaro ingenio, iudicio, experienciã, doctrinã, & sanctitate præditos, magnã què rerum diuinarum cognitione & Theorica, & Practica imbutos: qui si non erant idonei, ac intelligenda Dei dona, S. IGNATIO infusa, necessariò sequitur, ea communem Sanctorum statum & Ordinem, longissimè superasse. Mirum & illud est excellè sanctitatis indicium.

Habebat S. IGNATIUS maximam de sanctitate Ecclesiæ Catholicæ, eius què Sanctorum, qui omnibus in ea floruerunt sæculis, opinionem: credebat què eos multò pluribus ac maioribus, mirabilioribus què diuinæ gratiæ ornamentis ditatos fuisse, quam sint de ijs, in vitis eorum, ac Ecclesiasticis historijs prodita; idè què eos summè venerabatur, eorum què cultum ab vniuersa Societate modis omnibus, contra Hæreticorù contrarios conatus, promoueri ac propagari curabat. Quam suam, de eorum excellè sanctimoniam existimationem, coram vno è suis familiaribus, datà occasione confirmans, dixit, secù nullo Sanctorum post Apostolorum tempora, (de his enim sanctis loquebatur) commutaturum dona diuina, à se, sine vllis meritis, hausta è fonte caelesti; si ij, quorum vitæ leguntur ijs quæ de ipsis vulgata sunt, non habuissent maiora. Nec mirum, si enim Christus D. dixit Ioan. 14. 12. aliquos suos seruos, facturos maiora quam ipse fecerit miracula, quæ rariùs & difficiliùs à Deo conceduntur, quam virtutes omnibus necessariæ, & à Deo imperatæ, & ad essentialem perfectionem requisitæ ac Christo Domino, omnibus commendatam, Matth. 5. *Estote perfecti sicut Pater vester caelestis perfectus est.* promptior est Deus ad concedenda dona virtutum maiora seruis suis posterioribus, quam prioribus concesserit: præsertim, quia sæculis posterioribus maior abundat mundi iniquitas, quam prioribus. Idè què posteriora secula, maioribus indigent auxilijs internis & externis seruorum Dei, vt potissimum precibus internâ sanctitate animatis Deum placent, & malos conuertant.

Dixit etiam aliquando S. Pater, se viuere non posse,

D d d

posse,



posse, si quid in anima sua humanam, & non omni ex parte Diuinum, aduerteret. In omnibus actionibus suis, non affectu, qui per se cæcus est, & sæpè hominem præcipitat, sed rationis rectæ consilio ac regimine ducebatur: crebrò vsurpans, hominem à belluis, ratione differre. Porro in actionibus suis omnibus particularibus, id semper sincerè spectabat, ut fierent purè propter ipsum Deum; potius quàm ob timorem poenarum, vel spem præmiorum. Neque contentus erat singulas dirigere actiones ad Dei gloriam, sed cum reflexione quadã animi, dabat operam, ut in quàm maximam Dei gloriam redundarent. Vnde oriebatur, ut omnes eius epistolæ, sermones, paginæ Constitutionum, sæpè iteratis vocibus eiusmodi cernantur: *Ad maiorem Dei gloriam: Ad maius Dei & Creatoris nostri obsequium; & his similes, ex abundantia cordis, ore talia loquente, manu scribente. Quàm intentionis perfectissimæ puritatem omnibus actionibus suis, ab ipso suæ conversionis initio deinceps adhibere cœpit, & ad mortem retinuit. Quocirca mirum non est, quòd viuente adhuc S. IGNATIO, Iulius III. Pontifex Maximus, in Bulla edita Anno 1550. duodecimo Kalend. Augusti, testatam relinquere non dubitauerit: nihil quod pium sanctumq; non sit, in exemplari IGNATII vita & moribus reperiri.*

Sed illud est longè mirabilius, quod tum à Sacra Roræ Auditoribus, tum à Cardinalibus factotum Rituum in Relatione Summo Pontifici data, est positum in commendationem S. IGNATII, his verbis: *Tanto erga Deum amore flagrabat, ut tota die illum exquireret, & nihil aliud cogitaret, nihil aliud loqueretur, nihil aliud cuperet, quàm placere Deo, & illius obtemperare voluntati; itaque illi se totum committerebat, illum omnino sequi decreuerat, etiam si toto celo terraq; priuaretur. Omnes suas cogitationes, verba, opera, in Deum tanquam in finem referebat: ad Deum, ac Dei gloriam honoremq; destinabat. Hac illi. Quæ tam rara & inaudita actionum omnium internarum externarumq; S. IGNATII commendatio, ex multorum iuratorum testium certissimâ asseueratione, à Iudicibus Apostolicis profecta, quàm eximiam, virtutum omnium, in eminentissimo gradu excellentiam in S. IGNATIO denotet; facillè quibus prudens tertium æstimatòr iudicare potest.*

Est & hoc non contemnendum virtutis ac sanctimonie S. IGNATII non vulgaris signum, incredibile odium dæmonum & indignatio, quam sæpè in viuente S. IGNATIVM ostendebant. Hinc factum est, ut eum & terrere orantem spectris horribilibus conati sint, & sæpè ei apparuerint, sæpèque ab eo per contemptum bacillo abacti sint. Romæ præterea eum Dæmon quadam nocte præfocare tentauit, faucibusque ei a dædè compressit, ut SS. IESV nomen magnâ vocis contentione inclamare coactus, per multos dies vocem rauicam haberet. Alias ibi-

deti à dæmonibus grauissimè, ut olim S. Antonius, & S. Catharina Senen. casus est. Et in obfessis corporibus, viuente adhuc & mortuo S. Patre, non semel dæmones fassi, se maiorem infamicum IGNATIO non habere.

Porro virtutum S. IGNATII excellentia, & præcipua quæque, quæ lumina breuitate deinceps delibabuntur, sunt confirmata iurisdictione sexcentorum & septuaginta quinque testium, in Processibus eius Canonizationis, inter & testè examinatorum.

## CAPVT OCTAVVM.

*Mira S. Ignatij castitas, & puritas conscientia.*

**P**ermisit Deus, ad humilitatis & penitentiam materiam, IGNATIVM, dum militibus vacaret studijs, scedis maculari amoribus, sed postquam accepto illo lethali vulnere, in oppugnatione arcis Pampilonensis, lectione piorum librorum ad Christi sectandam militiam conuersus est, nullo deinceps mortali crimine Diuinam Maiestatem offendit; quin etiam primo mense à suâ conversione, & valetudinis recuperatione, sese irreuocabili voto castitatis obstrinxit. Quod religiosi animi obsequium & sacrificium pro suâ infinitâ bonitate, ita ratum & gratum Deus ipse habuit, ut ex eo tempore, ad extremum vsque vitæ suæ diem, S. IGNATIUS, etsi natura feruidus & planè igneus, & diuturno vsu ac vetustate, ad corroboratam præteritis adolescentiæ lapsibus libidinem, propensius omni profusus sensu libidinis careret. Quod quàm sit rarum, & excellens Dei donum, in tali præsertim homine, qualis ante conuersionem fuit, graues innocentissimorum etiam & sanctissimorum hominum, in carne spiritui rebellis, tentationes, vel niuibus, vel vitiis spiritibus, aliisque asperitatibus, ab ijs abigi solita, declarant.

Quæ verò adhuc animus illius puritate excelluerit, ex his apparet. In perpetua erat vigilia, contra omnes rerum mortalium illecebras, & ociosam mentis euagationem: nec minus accuratè animum ab omni labe tuebatur, quàm qui pretiosis ornati vestibus, viâ lulentâ coguntur incedere. Et quamuis semper se haberet in potestate, & ex D. Bernardi præcepto, non se rebus tradere, sed commodare soleret, tamen in singulas horas examinabat conscientiam. Inuenta erat custodia sensuum, quotidiana culatiliber omissionis confessio, iugis recordatio beneficiorum Dei: cogitata, dicta, factaque in iudicium vocans. Neque hoc satis fuit homini ad summam tendentis, sed inuenit alterum illud examinis genus, quod particulare nominant: quo ad leuium culpam non solum victoriam, sed extinctionem excisionemque utebatur, &



ad incrementum virtutum: de quo etiam certas Societati regulas reliquit in libro Exercitiorum Spiritualium. Summâ obseruabat curâ, quidquid ad Christi gratiam, vel tuendam, vel augendam, quoquo modo pertinere intelligeret. Si quid audiret eorum, quæ ad iram, vel ad turbidiorum aliquem motum incitare homines solent, statim sese colligebat, iungebatque cum Deo: & quid responderet, accuratè meditabatur. Ex quo illud consequbatur, vt neque rationem inconsideratio vlla præcurreret, neque non retineret animi tranquillitatem. Quâquam hoc non huiusmodi solum rebus seruauit, sed perpetuum illi in omni sermone fuit, vt nihil temerè loqueretur, sed cogitât & prudenter, nullumque planè verbum, nisi consultò ac meditatò proferret: neque figuris vel amplificationibus vteretur. Constat illum per triginta & eò amplius annos ante mortem, nec fatuum aut stupidum appellasse quemquam, vllouè contumelioso verbo affectisse. Si quem meritò obiurgaret, sine vlla acerbitate id faciebat, & ne verbo quidem mordebat. Neminem etiam cum asperius obiurgaret, vocabat, aut non obediens, aut superbum, aut inertem, aut pigrum: sed quid cuique inellet vitij, rei explicatione ostendebat. Superlatiuis, vt vocant, nominibus vix vtebatur. De alijs nunquam detraxit, detrahentibus nūquam aures patefecit. Quod quàm sit in mundo rarum, docet S. Thom: 2. 2. q. 73. art. 2. ad 2. *Quia pauci vel nulli sunt, qui non aliquando ex animi leuitate aliquid dicant, vnde in aliquo vel leuiter alterius fama minoratur, quia vt dicitur Iacob: 3. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.*

Aliorum vitia etiam publica, & quæ in ore omnium versarentur, non commemorabat, & de ijs loqui alios non permittebat. Si quid verò alijs excidisset, ipse vel eleuabat, vel excusabat factum: aut si id non posset, animum certè & voluntatem. De erratis etiam domesticorum, miram in eo erat silentium, nihil vlli aperiebat, nisi forte vt emendaret, & tunc quidem tam modestè ac mansuetè, tam habitâ ratione existimationis eius qui peccauerat, vt si vnus satis esset ad remedium, duos non adhiberet, nudâque culpam proponeret, nullâ adhibita contentione, aut reprehensione verborum. Semel cum hac sola te ad Confessarium iuit, vt confiteretur, quòd erratum cuiusdam tribus Patribus aperuisset, cum duo ad remedium adhibendum sufficerent. Et tamen is erat, qui deliquerat, vt vno illo errato diuulgato, nihil eius existimatio apud tertium illum Patrem læderetur. Et ita loquebatur de omnibus, vt singuli bonam de ipsius opinionem illam habere intelligerent, seque illi cordi esse. Ita compositus fuit moribus, vt nec manum, vel oculum, sine causa & ratione moueret: & in statu, incessu, accubatione, sessione, decorum teneret. Quare mirum non est, S.

*Lancicij Opusc. Tom. 2.*

IGNATII in minutissimis etiam rebus accuratissimam perfectionem & circumspectionem, cum summâ internâ puritate coniunctam, ad eò in admiratione fuisse apud omnes domesticos, vt quò quis ei esset magis inimus, & sæpius cum eo ageret, eò magis illum suspiceret: quamuis communiter hominibus accidat id, quod S. Cyrillus scriptum reliquit: *Eum qui semper presto est, debitâ reuerentiâ priuari à notis.* Et quod ait alicubi Tacitus: *Rebus maiorem esse ex longinquo honorè.* Sanè Confessarius B. Patris, Iacobus Eguia, de quo ipse fertur IGNATIVUS dixisse, Beatos inter suspiciendum in cœli sede celsissimâ, non tantùm dicebat IGNATIVUM esse, magis quàm Sanctum; sed ne pœnis quidem ab IGNATIO coercitus, à celebrandis eius in immensum laudibus, villo modo poterat abstinere. Et in stuporem prorsus adducebat homines, significans quid esset euulgaturus, si vel vnâ horam IGNATIO superfuisset.

#### CAPVT NONVM.

##### *Donum Orationis in S. Ignatio excellentissimum.*

POSTquam ad vitam meliorem S. IGNATIVUS conuersus est, statim & ad placandum numen cœlestè, & ad impetranda dona Diuina, longæ orationis præsidia adhibuit. Septenas quotidie horas genibus nixus orationi dabat: præterea Sacrificio Missæ, Vesperarum & Completorij officijs, attentissimâ curâ semper intererat. Ad Sacerdotium deinde & Societatis regimen euectus, binas post Sacrificium Missæ horas in contemplatione traducebat: vt nihil dicam de præparatione ad Missam, & de eâ oratione, cui ex legum Societatis præscripto, omnes marutino tempore à somno excitati vacare tenentur.

Actiones omnes è S. Basilij præcepto, condeciebat tacitæ precationis sale. Quancocunque, & quotiescunque vellet, se Deo atq̃ssimè per contemplationem coniungebat, tantâ facilitate, non modò vt è cœli siderumque aspectu, quo maximè capiebatur; sed etiam, vt ex intuitu floris aut herbæ, aut leuissimæ cuiuslibet rei, confestim in Dei cogitationem amoremque suauissimè raperetur. In recitando Diuino Officio, tantâ diuinæ consolationis copiâ perfundeatur, tantaque lachrymarum affluentia, vt in singulis penè verbis herere, ac preces interrompere, & in Psalmis legendis, magnam dici partè ponere cogerebatur. Ergo propter lachrymarum copiam, sæpè magnum dolorem oculorum contraherebat, & non semel ferme excecatus est: & propter frequentem extasim corpus mirè affligebatur. Quâ de causâ socij, vt ei Diuinum Officium omittere liceret, à Summo Pontifice

D d d 2

tifice



tifice impetrarunt. Cuius tamen loco ille, certum Rosarij, pensum quotidianis, cum euigilasset à somno, persoluebat. Quoniã verò in alijs quoque precibus, ac præsertim Missæ Sacrificio, idè cœcitatibus subibat periculum, & Medicorum consilio, & Sociorum impulsu, precari Dominum instituit, ut sibi liceret interdum à lachrymis temperare, idque obtinuit. Si quidem ex eo tempore, tantum in lachrymas ius & arbitrium obtinuit, ut earum quasi habenas, prout vellet adduceret, atque remitteret, tam constanti & æquabili diuinæ consolationis gratia, ut cum ardescerent lachrymæ, deuotionis tamen viueret fructus, & cohibitus fletus, circumfluentem diuinæ visitationis copiam, nihil omnino reprimere. Porro in quâ Missâ ter saltem non ferebat, se indeuotum & aridum existimabat. Tam feruenter orabat, ut ex intentione animi, morbum multoties contraheret. Et semel in extremum vitæ discrimen adductus est, quod die Natalis Domini, duo Sacra sine interruptione fecisset: idè nisi validus erat vitibus, & bene sanus ac vegetus, Sacrificium Missæ offerre non poterat. Quinimò obseruauerunt domestici, etiam dum robustus esset & sanus, eum sæpè incidisse in morbum, post Sacrum. Non rarò verò ita ad ipsum sacrum altare languebat, ut ab eo, alienis manibus ad cubiculum asportari deberet, suis pedibus, præ diuinis languoribus, subsistere non valens.

Tã magnis in quotidiano Sacro, (quod quotidie sub vesperam in Missâ ordinabat, & accuratè perlegebat totum) consolationibus perfundebatur, ut redundante in corpus diuinarum voluptatum magnitudine, liberè respirare, & proloqui omnino verbum ac pronunciare non posset, quo ad tanta illa diuinæ dulcedinis copia verberataque remitteret. Interdumque, fiebat, ut preces inter & Sacrificia, tantis ardoribus æstuarer, ut omnes partes corporis exardescerent, facies instar purpuræ ruberet, venæque omnes manifestè cordis palpitacione migarent; inrerdum verò etiam pilus capitis inhorresceret. Neque tantum in Sacrificio Missæ ita intendebat animum, sed in minimis etiam rebus, quæ ad Deum pertinerent. Cum mensæ benedicebat, cum à prapdio Deo gratias agebat; in reliquis demum rebus, ita se uocabat animum, seseque colligebat, ut non tantum mente, sed ipsis etiam oculis cernere præsentem Deum videretur: & ita mès eius inflammabatur interior, ut facies etiam accenderetur, & tota, quod sæpè stupefacti animaduertuerunt domestici, quodammodo ignesceret. Nullus quantum suis strepitus, si nullà eius culpâ accideret, **GENATIVM** obturbabat orantem. In diuinis rebus habebat se magis passiuè quàm actiuè, ut loquuntur Scriptores Theologiæ mysticæ, qui supremus ac perfectissimus contemplationis gradus ab ijs traditur. Sæpè inter orandum abstrhebat à sensibus, semel verò, idque pri-

mo à sua cõuersione anno alienatus à sensibus, per octo dies in perpetuâ extasi, sine villo cibo & potu, mortuum similis persistit. Atque interim pij quidam homines, mortuum rati terræ mandassent, nisi contemplati omnia diligentius, ac pertentato corpore, latentem in eo vitam, ex tenui cordis palpitacione sensissent.

## CAPVT DECIMUM.

*Carnis maceratio in S. Ignatio non vulgari.*

**SC**iens Beatus Pater, iuncta diuini famulatus, Scarnis macerationem exigere, tanquam prima vitæ spiritualis & Christi tyrocinij elementa, quamprimum per valetudinè licuit, carnè modis varijs cœpit affligere; non quod rebellem experiretur spiritui, quandoquidem vè supra dictum est, diuino munere, omni sensu libidinis caruit, à primo vitæ melioris exordio; sed vè penitentia acrimoniã, fordes antea vitæ elueret, numenque cœlestè sibi magis ac magis propitium redderet. Totam itaque hebdomadam, excepto die Dominico, ieiunabat, panè cœmendicato simplici, & aqua contentus: humo nudà vel asseribus nullà re stratis, inter mendicorum quiesquilias cubabat: cibi ac somni parcissimus, cilicio asperrimo, & præterea catenâ seu cingulo ferreo carnes atterebat: capite & pedibus initio nudis, & sine vllis calcæis; deinde cum studijs daret operam, soleis calcæorum perforatis, utebatur. Itinera hyeme sæuiente semiamictus faciebat, quamuis è cœlo densa nix caderet, ac tristi gelu cuncta inhorrescerent. Singulis quoque diebus ter sese flagellis, etiam ferreis quàm acerrimè cædebat, & constanter id omne refugiebat, quod aliquam posset afflictio corpori delectationè vel leuamen asserre. Itaque cum esset decoro vultu, & egregiã totius corporis firmitate, fractis paulatim viribus, omnis ille vigor acerrimi bellatoris, & forma viridis iuuetæ prorsus elanguit. In extremã deinde ætate, penitentiarum seueritate, studijs, laboribus, malisque assiduis fracta, et si ea victum exigeret meliorem, cibi potusque fuit parcus adeo, ut domestici obstupescerent, & gustatum funditus perdidisse videretur: Nisi si quando pauculis vesceretur castaneis, quæ in Italiã & Hispania, mendicorum cibaria sunt. Cibus eius extra ieiuniorum dies, caro erat agnina, vel alia nõ maioris pretij, vitulinam, pullos, aliamuè ex ijs quæ in delicijs sunt, non admittebat, etiam si hospites ad conuiuium inuitatos haberet. Nulli vnquam ferculo, quamuis famelicus arriisset, nihil vnquam inter edendum est questus, licet per adiutorum inscitiam incuriamuè, cibaria male cocta conditaque, vinum etiam acidum præberetur. Nihil denique sibi proprie apponi vo-



luit vnquam: & grauior administrum aliquando puniit, quod vnueracem, vni sibi præter cæteros attulisset. Que sanè peritus rerum æstimator, haud ita leuia duxerit, si hominis vel ætatem ipsam finilem, cui multa dantur, vel infirmitates valetudinis, quæ in S. IGNATIO erant frequentes, & penè assidui dolores & nausæ ventriculi, vel denique summam inter suos potestatem & licentiam, suo, vt ita dicam, arbitrato viuendi, consideret. Somno quatuor circiter horas tribuebat. Cubiculo semper vsus est perangusto, humili, tenebricoso, & simpliciter laborato, longo 29. lato 14. alto 10. palmis.

## CAPVT VNDECIMVM.

*Amor insignis proximorum in S. Ignatio.*

VT primùm è peccatorum cæno emerit S. IGNATIVS, confestim ad cæteros ex eodè cæno extrahendos incubuit: totamque deinceps vitam hæc in re traduxit, cum innumerabili animarum bono, & maximo S. Ecclesiæ incremento. Ob id ipsum ingenti labore, & incommodo, victu semper emendicato se sustentans, literis operam dedit per annos circiter duodecim, eas post annum ætatis 30. aggressus. Barcinone cum in Grammaticæ studio versaretur, quoddam Monasterium Monialium, solutâ admodum disciplinâ, corruptisque tunc moribus; ad veterem sanctimoniam omni studio reuocare nitebatur, idque effecit, vt pleræque ad salutarem penitentiam officiumque traductæ sint. Quod nefarii quidam amatores vbi sensere, aditumque sibi ad optata flagitia, magis in dies obseptum videre, in extremam efferrati rabiem, S. IGNATIVM ex insidijs adorti, sustibus ita malè acceperunt, vt dies aliquot in lecto iacuerit. Sed vix dum receptis viribus, minimè suo malo perterritus, ad instituta charitatis officia, redijt alacer. Cumque eum amici monerent, & per Deum obtestarentur, ne denudè in capitis discrimen daret sese: *Quid mihi optatius, inquit ille, quam pro Christo Domino, meumque proximis emori?* Parisijs, amicum à turpi cuiusdâ scemine consuetudine frustra sæpè reuocare conatus, sciens vicum, quem ille ad fœdi sceleris voluptatem transiturus erat in stagno viæ proximo, tempestate licet perfrigidâ, sese nudus collo tenus immerisit, atque vt appropinquantem conspexit: *Quò, quò miserime properas, ait, nonne intentum in te diuinæ iustitiæ gladium vides? Perge porò perge, nefariam istam explere libidinem, ego me hic tam diu tuâ causâ macerabo. quoad cœlestes iras, meo malo auertam abs te. Quo spectaculo ille percussus, demiratusque tantam S. IGNATII charitatem, in posterum ab illa pestiferâ familiaritate sese con-*

*Lancizij Opusc. Tom. 2.*

tinuit. Quendam à vitâ rectè inchoatâ, ad vomitum redire cogitantem, vt ab impio proposito retraheret, totum triduum omni cibo potuque abstinuit, precesque cum lachrymis pro eo fudit, & perseverantiam in bene cæptis, inconstanti illi impetrauit. Per studiorum tempus, quotidie tēpus aliquod proximorum salutem dabat. Omnes quos potuit semper, ad virtutem ac pietatem exercitijs & pijs sermonibus trahebat. In patriâ verò sua institutionem Sodalitatis SS. Sacramenti præcipuè adiunxit; curauitque vt in meridie daretur signum campanæ ad orandum, pro existentibus in peccato mortali, & in purgatorio; vtque tolleretur alearum vsus, vitæque ac mores incolarum, & Ecclesiasticorum reformarentur. Dicebat se, siquidem ad animarum salutem pertineret, paratissimum esse, nudis pedibus, cornibusque onustum per plateas incedere, nullum denique reculare habitum, aut ridiculum, aut probrosum, qui esse utilis hominibus posset. Quod re ipsa comprobauit, si quando se occasio obtulit. Hanc etiam ob causam Hierosolymam summis laboribus & incommodis, vitæque periculis inuisit, vt ibi fideles in pietate iuuaret, infideles verò conuerteret. Ecce ad hoc ipsum perficiendum postea, collectis nouem egregijs socijs, voto se obstrinxit. Quod si non liceret exequi, operam suam ac Sociorū Romano Pontifici in auxilium animarum obtulit. Eundem ob finem Societatem Iesv, non sine magnis difficultatibus instituit, validè sese opponente sathanâ. Eiusque finem hunc esse voluit, vt in eâ, omnes non solum salutis & perfectioni propriarum animarum vacarent; sed impensè in salutem ac perfectionem proximorum incumberent: illiusque hanc esse vocationem declarauit, diuersa loca peragrarè, & vitam agere in quâuis mundi plagâ, vbi maius Dei obsequium & animarum salus speretur. Quas vt adiuuaret vberius, rationem viuendi in exterioribus, non Eremiticæ, sed Christi & Apostolorum vitæ conformem esse voluit: hoc est, in victu vestituque communem, cum honestis eius regionis clericis. Per quam Societatem, quid in Ecclesiâ Dei effecerit, & ad hunc diem per filios suos, (in Prouincijs 33. & domicilia 516. distributos, qui ante annos sex, numerantur 1312. efficiat, recti & non inuidi rerum æstimatores, probè norunt, & inimici S. Ecclesiæ, ijdemque & Societatis maximi, fatentur. Si necesse esset ad auellendum aliquem à vitâ improbâ, non erubesceret iuuantis studio, sua secularis vitæ patefacere peccata. Quâ ratione, non vnum penè desperatum adiunxit. Ex eodem proximorum salutis amore ardenti, manarunt insignia pietatis opera per eum instituta. Nam vt nihil dicam de Societatis Scholis, ad erudiendam iuuentutem aptis, in orbe terrarum numerosissimis, ex quibus omnibus antea actis annis, viri S. Ecclesiæ & Reipub. Christianæ prodierunt,

D d d 3



runt, prodeuntque numerosissimi, & literis & virtute, aliisque naturæ & gratiæ ornamentis illustres, in Orbis magistrâ & Principe Romanâ Vrbe, auctor fuit, vt Collegium Germanicum pro purgandâ ab hæresibus Germaniâ, erigeretur: Domus item orphanorum pro pueris & puellis orbatis parentibus: Domus Catechumenorum pro Iudæis ad fidem conuersis alendis: Cœnobium malè nuptarum, in quo ad tempus mulieres à maritis dissidentes, tamdiu delitescerent, quoad compositis controuersijs, in gratiam cum maritis redirent. Pro cuius cœnobij initijs, ipse licet magna rei familiaris pressus inopiâ, de certis lapidibus, ex arca domestici templi effossis ac diuenditis, collectam 100. aureorum summam, primus in medio posuit. Aliud quoque Monasterium, quod nunc S. Catharinæ de Funarijs appellatur, instituit, quo puellæ forma eleganti, ob angustias rei familiaris, in periculo pudicitie constitutæ, magnâ impensâ educantur: ætate maturata, vel religiose vitæ consecrandæ, vel in matrimonio honestè collocandæ. Quarum hodie aliquot centena eo loco retinentur. Id quoque molitus est, quod olim in patriâ suâ effecit, vt vlcerosi ac mendici per compita miserè queritantes, vnum in locum coacti, publicâ impensâ alerentur. Pro quodam, qui per sexaginta annos confessus non fuerat, multas preces Deo in Societate offerri mandauit, & tandem ad bonam frugem hominem reduxit. Denique continuè vigilabat, & cogitabat, quomodo posset malos à peccatis abstrahere, & ad vitam puram perducere: & pro animarum auxilio, quæuis incommoda ac pericula, doloresque libenter patiebatur, nihilque difficilè recusabat. Effecit etiam, vt Innocentij Tertij iam desuetudine propemodum antiquata, lex, de non curandis ægrotis, à prima inspectione, nisi ritè sua confiterentur peccata, longo intervallo reuocaretur. Denique quod maximè saluti animarum conducit, cum Ecclesiasticorum Præsulum incuriâ, frequens vsus, sacrarum Concionum & lectionum, Missarum item, Confessionisque ac Communions, iam pridem esset extinctus; illum S. IGNATIUS Romæ primùm, deinde in alijs vniuersi orbis partibus introduxit, quemadmodum & veteres scribunt Historici, & ex iuratis multorum testimonij S. IGNATIO coæuis, Sacræ primùm Rotæ Auditores, deinde Cardinales sacrarum rituum agnouerunt. Quem vitum illi, ob conuersas multas barbaras nationes per socios ab eo missos, disertis verbis, in Relatione Summo Põtifici, pro eo in Sanctorum numerum referendo datâ, pronunciarunt: dici posse, Apostolum Indorum & Barbarorum, aliarumque nationum, quæ per socios ab eo missos, CHRISTVM agnouerunt: sicut à V. Beda S. Greg. Magnus dicitur Apostolus Angliæ, quia illuc Augustinum & alios Monachos ad prædicandum Euangelium misit.

Sed solis spiritualibus proximorum auxilijs S. IGNATIUS charitas minimè contenta est, ad corporalia sese amplè diffudit. Statim enim ac seculi militiam deseruit, & valetudinem recuperavit, assiduum obsequium pauperibus & infirmis exhibuitijs, in hospitalibus cum magna humilitate & charitate infirmuendo, vulnera eorum curando, interdum eorum plagas liguendo. Et quamuis ipse relicto pro Christo rebus omnibus piorum aleretur subsidijs, non tantùm pro se, sed pro alijs etiam pauperibus quotidie elemosinas conquirebat, & conquisitis liberalissimè distribuere, peiorem & duriorum panis partem sibi referuans, meliorem & recentiorum Christi pauperibus donans, non sine lachrymis præ gaudio, & proximorum propter Deum amore, manantibus. Curauit præterea, vt in patria Sodales SS. Sacramenti, elemosinas quouis die Dominico, pro pauperibus occultis, verecundia pressis colligerent, ipsque patientur: & vt eius germanus frater, quouis item die Dominico, panes 12. in honorem Apostolorum duodecim largiretur. Hæc etiam eius enituit charitas, in visitandis ac recreandis, ob aliquam calamitatem merentibus, tam liberis, quam in carcerem detritis. Quod ei totâ deinceps vitâ in more fuit, etiam dum obiret laboriosa Præpositi Generalis munia. Sed maximè eius charitas resplenduit in dilectione ardentissima & constantissima inimicorum. Nulli malum pro malo reddidit: malefacta benefactis non tantùm æquauit, sed superauit. Cum sapius appetitus esset à multis, & ad iustam indignationem prouocatus, ne minimam quidem commotioni significationem dedit; neque eos à quibus grauius est laesit, vel leuiter, cum faciliè posset, est vltus. Quod quidem præclaris exemplis demonstrari posset, ni breuitas compendij promissa, obstaret.

## CAPVT DVODECIMVM.

*Amor erga Deum in S. Ignatio perfectissimus.*

ET exactâ Dei præceptorum post suam conversionem custodia: & multiplici dilectione proximorum satis superque S. IGNATIUS, veram erga Deum & excellens dilectionem, restatam reliquit: sed adsunt alia quoque huius rei certissima argumenta, Cardinalibus Sacrorum Rituum, in Relatione eius Canonizationis, non rhetoricè, sed grauissimâ iudiciali sententiâ, post præmissam longam inquisitionem, & multorum iuratorum testium, examina: Deum, inquit Apostolici Commissarij ac Iudices, quantopere diligeret, patet ex summâ illâ curâ ac diligentia, quâ studuit propter Deum proximo in spiritualibus ac tem-



pot alibus semper benefacere; & ex maximâ vigilantiâ, quâ curavit cor suum mundum custodire. Neque verò tantummodò custodivit cor suum ab iis que sunt contra dilectionem, sed etiam à seipso amorem omnium rerum, quæ Deus non sunt, prorsus abiecit, atque in eundem transfudit Deum: omnemq; affectionem ad Dei dilectionem referre conatus est. Hanc in Deum charitatem, (pergunt iidem Apostolici Commissarii) aded puram in suo corde aluit, retinuitq; , ut etiam suis ipsius amorem prorsus amandavit. Dixit enim aliquando; Se, si optio daretur, velle potius vivere cum incertitudine beatitudinis, & interim servire Deo: quam cum certitudine tunc obire: & iudicare, sibi magis durum & penale futurum, audire blasphemias in Domini nomen, quam penas inferni pati, si unquam ad inferos detruderetur à Deo. Tanto denique erga Deum amore flagrabat, ut totâ die illum exquireret; & nihil aliud loqueretur, nihil aliud cuperet, quam placere Deo, & illius obtemperare voluntati. Itaque illi se totum committebat, illum omnino sequi decreverat, etiamsi toto celo terrâq; priuaretur. Omnes suas cogitationes, verba, opera, in Deum tanquam in finem referebat; ad Deum ac Dei gloriam honoremq; destinabat: atque hoc veluti symbolum, AD MAIOREM DEI GLORIAM, in ore semper habebat. Ex his nimirum oriebatur illud magnum gaudium spirituale, quo hic Dei servus planè repletus erat; illa serenitas quam semper in vultu præseferbat; illa pax interior animi. Hæc illi. Huius admirabilis erga Deum dilectionis, & hæc insignia argumenta sunt, quod quantilibet esset pressus curis, ac molestijs fatigatus S. IGNATIVS, in solâ Dei recordatione, & quasi amplexu, per summam delectationem acquiesceret. Christum Dominum videndi sicuti est, tantâ flagrabat cupiditate, ut eam ipsam obtem, solui corporis vinculis (ni Deus suam pro animarum salute longiorem operam exigeret) vehementius in dies optaret. Itaque si quando grauiorem incidisset in morbum, conceptâ migrandi spe, abstrahebat illico à sensibus, non sine magno valetudinis detrimento. Quocirca mentem à cælestibus rebus interim auocare, etiam atque etiam iubebatur à medicis. Inter ipsam negotiorum molem, perditas meretriculas tanto studio conabatur ab impuritate auocare, ut si qua ex ijs respiceret, seque ad Monasterium vellet recipere, grandis iam natu vir, & Præpositus Generalis, antecedere ipsemet, ac perductoris quodammodo munere fungi, Dei causa non erubesceret. In quo eum admoneretur à quibusdam, frustra tempus ac laborem infumi cum talibus, breui ad ingenium redituris: Ego verò, inquit ille, cuiuslibet istarum, vnus dumtaxat noctu impedisse peccata & iniurias in Deum, pro omnibus totius vite meae laboribus, & operibus, magnū premium duxerim. Deum sæpissimè alloquens ex intimo corde dicebat: Quid ego Domine extra te volo, aut quid velim? Quotiescunque sublatis in cæelum oculis, astrâ aspiceret; quod sæpè faciebat ac diu, mortalia cuncta illi repente sordescabant, & miro quodam æternæ patriæ desiderio rapiebatur. Semper eum ad SS. Trinitatem orationem funderet, quod frequenter & diu faciebat, eximiam diuinæ consolationis suauitatem percipiebat. Quamuis in vniuersa Hispaniâ, pro magnâ sanguinis notâ, & familiarum dedecore habeatur, habuisse maiores è Iudaico genere profectos, S. tamen IGNATIVS, quamuis hæc labe eius familia nunquam infecta fuerit, dixit P. Ribadeneira multis audientibus, se singularis diuini beneficij loco habiturum fuisse, si è Iudæorum stirpe descendisset; ut ita etiam hac ratione Christi Domini, eiusque Beatissimæ Matris, secundum carnem quodammodo con sanguineus, et si remotus esse potuisset. Quod ex ardentissimâ erga Christum dilectione, tanto animi sensu ac pietate proluit, ut à lachrymis temperare non potuerit.

Romæ in templo Societatis, doctrinâ Christianâ pueros rudelq; , & alios omnes aduentantes instruens, ita sermonem claudere solebat. Amate Deum ex toto corde, ex totâ animâ, ex totâ voluntate. Quæ verbâ cum tanto seruire, & ardore vultus proferebat, ut flammæ effundere, & corda vrere videretur. Extremâ ætate sæpè S. Pater ægrotabat, & perpetuâ ferè ventriculi nausæ fastidioq; diuexabatur: expetiebatur verò, nullâ re se iuuari magis, citiusq; ad meliorem sanitatem redire, quam diuinarum laudum cantu etiam rudi simpliciq; , qualis quotidie in templis auditur. Ita non cor tantum eius, sed caro etiam exultabat in Deum viuum: & auditis dilecti sui laudibus, statim corroborabatur & conualefcebat. Quare si propriam vilitatem & gustum spectasset, chorum more aliorum Ordinum in Societate institueret; quia tamen videbat sine choro, modis alijs, posse Societatis homines non minùs propagare diuinam gloriam, seque & alios, in Dei obsequio perficere; choro Societati abstinentum duxit: eum tamen in alijs Ordinibus, vti solebat omnia, tanquam vniuersiuique Instituto accommodatum, commendans.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

*Admirandum in S. Ignatio omnium commotionum ac perturbationum dominum.*

Sic omnes appetitus & passiones S. IGNATIVS Dei gratiâ, studioq; ac labore perticerat, & obediens rationi effecerat, ut non quidem sine illis esset (hoc enim ab hominis naturâ est alienum) sed certè ut ab omni commotione animi, motuq; turbulento vacuus videretur. Proinde tum Sacræ Romanæ Rotæ Auditores, tum Cardinales Sacrorum Rituum, in Relationibus pro S. IGNATII Canonizatione Summo



Pontifici factis, disertis verbis testati sunt, S. IGNATIUM habuisse perfectissimum dominium omnium suarum commotionum & perturbationum. Quod quàm sit rarum & admirandum in vita mortali, omnes experimur; & sciunt docti, qui quantas vires, in natura per peccatum Adami corrupta, fomes peccati habeat, norunt. Vnde cum variæ sint in hominibus commotiones, nimirum amoris, odij, desiderij, fugæ, gaudij, tristitiæ, spei, desperationis, timoris, audaciæ iræ; ita S. IGNATIUM imperio subiectæ erant omnes, ut ipsi non ad vitium, sed ad necessitatem, iuxta rectæ rationis & diuinarum legum præscriptum, vreretur. Hinc factum est, ut cum esset natura calidus & biliosus, propter summam tamen animi lenitatem, quam in omni sermone vitæque consuetudine adhibebat, frigidus ipsis quoque medicis, & ut appellant, phlegmaticus videretur. Sæpè affabiliter hilariterque loquens, cum quispiam obiurgandus esset, primò illius aspectu commutabat vultum, ac ad seueritatem composito, grauius reprehendebat; statimque illo abeunte, ne puncto quidem temporis interiecto, ad suam illam tranquillitatem iucunditatemque sermonis, sereno vultu, explicatâ fronte redibat, perinde ac si nunquam quenuquam obiurgasset: itaque apparebat, nihil omnino fuisse commotum, sed seueram illam obiurgatoris personam, & suscepisse cum vellet, & deponisset. Eundem tenorem semper tenuit in rebus gerendis, & perpetuitatem in omni vita. Nam quamuis corpore aliter atque aliter affectus esset, & propter valetudinis varietatem ad res tractandas, vel magis, vel minus aptus, animo tamen eodem semper erat, ut ad aliquid ab eo impetrandum aut conficiendum, obseruare tempus & oportunitatem, nihil esset necesse. Nam siue illum SS. Missæ Sacrificio peracto, siue prandio, conuenires: è lecto surgentem, aut ab oratione, perinde erat: siue res lætæ, siue tristiores essent: denique in nulla rerum dissimilitudine ac varietate, varius ipse sui que dissimilis fuit. Aduersus ea quæ videntur acerba, & contra omnes varietates, quæ in vita versantur, animo fuit ita semper præsentis, ut nunquam vel à statu naturæ, vel à religiosa dignitate discederet.

## CAPVT DECIMVMQVARTVM.

*Rara S. Ignatii humilitas & patientia.*

QVOD maiora in S. IGNATIO fuere diuina dona, quæ iam legimus, eò fuit in eo humilitas illustrior, quam uti fundamentum virtutum à suæ conuersionis exordio mirificè cepit colere. Itaque vilissimo habitu ac seminudus primis annis incedebat, cum mendicis, etsi honestis in locis possèt, hospitabatur: homines hominumque æstimationem fugiebat, splendo-

rem natalium, & visiones diuinas, quæ in eo erant frequentissimæ, diligenter occultabat. Dicebat, omnes domesticos exemplo sibi ad virtutem atque incitamento esse; neque quenuquam præter se vnum, sibi displicere. Optabat, ut ipse mortui eadauer, volucris & feris laniandum obijceretur, vel conderetur in aliquo sterquilinio. Vbi perspicua res non esset atque euidentis, facillè aliorum sequebatur iudicium, & se cum esset superior, inferioribus exæquabat. Ludibrio omnibus cupiebat esse, & nisi habuisset rationem utilitatis proximorum, propter quos iuuandos, autoritatis etiam suæ ac personæ ratio habenda fuit, ambulasset per plateas nudus, & fordibus oppletus, ut insanus haberetur. Ne in Præpositum Generalem Societatis eligeretur, omni ope contendit, & coactus Confessarij imperio, ac importunis Sociorum precibus hoc munus suscipere: post decem deinde annos, illud in publico Societatis conuentu deponere, summis precibus conatus est. De rebus suis non loquebatur, nisi more aliorum Sanctorum magnâ aliquâ causâ excitatus, vel ad sanandos aliorum animos, & mœtore liberandos eos, qui ab ipso consilium vel medicinam peterent, vel ad excitandos, atque aduersus omnes difficultates suo exemplo armandos. De se tamen loqui coactus, parcè & nascentis Societatis initio id faciebat, exemplum secutus Pauli Apostoli, qui ut loquitur S. Gregorius: *occultabat bona, custodiâ propriâ, publicabat verò visâ Diuina admirabilia, utilitate alienâ.* De suis tamen rebus ita demisse & humiliter sentiebat, ut se mortalium omnium infimum, & opis Diuinæ maximè egentem, putaret. Cum de propagatione Societatis vel fructu, quem vbique terrarum in Dei Ecclesiâ faciebat, mentionem ab aliquo fieret; vel de re alia quacunque, in eius commendationem redundante, colligebat statim se, obortisque lachrymis pudore quodam virgineo suffundebatur. Nolebat se laudari à quouquam, & cum accepisset P. Iacobum Egoiam Confessarium suum, fere septuagenarium, miris ipsum laudibus, communem magnorum Sanctorum commendationem excedentibus celebrasse, hanc ei pœnam inflixit, ut per tres dies ter quotidie sese flagellis caderet. Sed cum ille postea ne pœnis quidem coërcitus, à laudando IGNATIO abstineret, ampliùs ei confiteri noluit: vetuitque præterea, sub pœna excommunicationis & dimissionis è Societate, ut ab omnibus eius laudibus deinceps abstineret. Vexabatur S. IGNATIUS post suam conuersionem ad Deum, molestis valdè vanæ gloriæ tentationibus, ante professionem Hierosolymitanam, quibus cum se acriter opponeret, & in graui quodam morbo his tentationibus impetitus, maiorè ex offensionis Diuinæ formidine, quam ex ipsa grassantis morbi vehementia metum ac sollicitudinem caperet; ita Diuino præsidio hoc debel-



debellavit vitium evulsitque radicibus, primo adhuc à suâ ad Deum conversione anno, ut postea quotiescunque salus animarum vel Dei gloria postularêt, sua non minus bona quam peccata, sine vlla prorsus vanâ gloriâ titillatione, narraret. Et si multi optatêt veram S. IGNATII habere effigiem, ille neque pingi se, neque fingi permitit. Et cum Cardinalis Paciecus pio dolo IGNATIVM in lecto decumbentem inuiserit, clâ adducto pictore, qui per rimas quasdam IGNATIVM videre posset ac depingere, vicit observatiam Pacieci S. IGNATII humilitas. Siquidem ita eius facies novus & novus induebat formas diuinitus, ut obstupefactus pictor te infectâ discedere debuerit. Eadem S. Patris humilitas in causâ fuit, ut quamvis in se maxima Dei dona agnosceret, & miraculosis favoribus, Deum sibi esse propitium certieret, ad Sacerdotium tamen pronectus, primam Deo hostiam statim offerre ausus non est, sed per menses octodecim dies noctesque simul intentâ quadam animi curâ, simul inestimabili spiritus dulcedine, & novâ Diuini luminis copiâ, se præparavit. Sed & in tolerandis aduersis, maximè S. IGNATII humilitas apparuit: septennero enim sine iustâ à se datâ causâ, varijs criminationibus & Barcinone, & Compluti, & Salmanticæ, & Parisijs & Romæ laceratus, & in carcerem interdum sine vlla culpa coniectus sæpè etiam maximis rei familiaris angustijs pressus, difficultatibusque vallatus, tranquillo ac humili animo propter Deum toleravit patienter & libenter omnia, iudicans se nullo bono dignum, dignum omni malo. Eos qui S. IGNATII contumelias illatas & calumnias impedire volebant, rogabat strenuè, ne impedirent; & iniquis conuiciatoribus gratias agebat, & quibus poterat eos beneficijs cumulabat. Cum pecuarius quidam puer defixis procaciter in eum transeuntem oculis, cachinnos tolleret, eique licentijs illuderet, & ille vultu placido substitisset, versus ad eum comes: Quin, ait, acceleras gradum pater, teque istius pueri petulantia subtrahis? Imo verò, inquit ille, cut puerum oblata sibi præter spem hac tantâ oblectatione fraudemus? Itaque consultò etiam diutius hæsit in iisdem vestigijs, ac se curiosus intuentum videndumque affatim protetuo adolescentulo præbuit, plus ex hoc contemptu ac ludibrio hauriens voluptatis, quam alij ex vulgi plausu; faustaque acclamatione, percipiunt.

Romæ concionantem in via publica, cum petulantes pueri, pomis proiectis per ludibrium impeterent, sine vilo irati animi signo, instat statuat perstitit. Dicebatque ingentes persecutiones, quas ante & post fundatam Societatem sustinuit, cariores sibi esse, omnibus huius vitæ honoribus ac commodis. Cum ab eo in custodiam coniecto Salmanticæ, ob falsam accusationem quidam amice quæreret, grauiter ne

ferret custodiam & vincula? Tantum in malum, inquit, tibi videtur esse carcer: atqui scito, vrbe Salmanticâ totâ, non ita multas esse compedes, manicassæ, quin ego plures Christi Domini causa vehementer exoptem. Neque tantum humiliter, patienter, libenterque ferebat omnia famæ, honori, corpori rebusque alijs suis aduersa & molesta, sed, qui summus est in his virtutibus gradus, etiam lætitiâ fruebatur, cum aliquid aduersus ipsius personam & honorem accideret; vti observarunt & Sacræ Romæ Auditores, & Illustrissimi Sacrorum Rituum Cardinales in suis Relationibus Summo Pontifici datis.

## CAPVT DECIMVMQVINTVM.

*Vita S. Ignatij, & bona existimatio à Deo miraculose sæpius conseruata & defensa.*

**Q**VOS Diuina maiestas, ad res in sua Ecclesia præclare gerendas, maximamque Christi gloriæ amplificationem elegit, peculiaribus vitam eorum existimationemque favoribus atque auxilijs & conseruare solet & defendere. Extant huius rei in S. IGNATII vita exempla illustrissima, & maximè admiranda.

Cum S. IGNATIVS domi paternæ è lethali vulnere decumberet mortique proximus, suorum admonitu sacris quæ ad expiandum animi pertinent ritè peractis, à domesticis deploraretur; sanctus Petrus Apostolus in sui festi peruigilio apparuit, optaram ei valetudinem diuinitus afferens. Quare continuo leuari doloribus, ciboque refici cœptus est. Indicat & hoc maximè caram fuisse Deo S. IGNATII vitam, quod eius custodiam, non tantum alicui ex infimo SS. Angelorum ordine commisit, quibus nostri custodia commissa; sed ex altiore gradu, Archangelum eius tutelæ præfecit. Quod eum aliquoties per septem dies integros, nullo prorsus cibo vel potu refectum, aut in extasi positum, vel quiddam à Deo impetrare volentem, sine infirmitate vlla, imo sine virium defectu, cum terna singulis diebus, eaque acerbâ corporis diuerberatione, ac septem horarum flexis genibus peractâ oratione, seruarit.

Dum derelictus à comitibus itineris, Venetias sub noctem venisset, sanctus IGNATIVS, nec vias ad publica Xenodochia nosset, nec portitorum conducendo suppetere nummi; assuetus longo iam vsu male cubare, sub porticu Prociatoriam intendentibus iam se tenebris, vacuum opificis cuiusdam fulcrum inuenit, in quo fessos artus vtcunque reficeret. Dum ita ibi noctem exigeret, vicinum Senatorem Marcum Antonium Trevisanum, perspectæ integritatis, postea in Venetiarum Ducem electum, cœlestis exci-

tauit



tanit vox & increpuit, quòd in multâ veste, molliq̄e strato decumberet ipse, cùm interim Dei famulus peregrinus, non longè à vestibulo illius ædium iaceret, in publico pauper, & omni humanâ ope ac solatio destitutus. Itaque ingenti metu & horrore perfusus, confestim prosiliit, & quæsivum diligenter IGNATIVM excepit perhonorificè.

Hierosolymam nauigans, grauiâ à comitibus itineris, in eadem naui committi facinora compererat; ergo cùm impuros illos homines reprehenderet, illi factâ cum nautis coniuratione, molestum sibi monitorem, in desertâ quadam insulâ exponere, atque ab suo conspectu & ôsuerud. ne procul amouere decreuerant. Quam rem odorati è vectores quidam Hispani, ad IGNATIVM detolère, suadentes vt sibi consuleret. Sed ille cùm blanda non prodesse monita, nihilominus turpiter peccantes obiurgare perrexit. Diuinæ providentiæ ope subnixus: cuius beneficio factum est, vt ad insulam sceleri destinatam appropinquantes nautæ, aduerso repente vento reiecti, volentes nolentes, ad portum opatum peruenerint IGNATIVM.

In Italiam traiecturus, tres in Italiam onerarias paratas offendit. Quarum duæ validæ & firmæ, cùm IGNATIVM recipere nollent, & tertia parua & malè compacta admisisset, simulq̄e vento secundo soluisset, repente duæ illæ quæ IGNATIVM excluferant, naufragium sunt passæ; tertia tantùm, quâ S. IGNATIVS vehebatur, minime valida, ventis ac fluctibus diu multumq̄e agitata, altero denique mense in Apuliam peruenit.

Compluti rogatu Vicarij Episcopi, Ioannes Lucena colligebat aliquantulum pecuniæ pro Clericalibus vestibus S. IGNATIO parandis, ergo cùm eodem comite ad nobilem quendam virum accessisset, id petens, ille ad sanctum IGNATIVM conuersus: *Vitam, inquit, ego comburav, si iste IGNATIVM ostendens, ignem non meretur.* Res mira, eodem die, incendio domus suæ deflagratis, absumptus est ille nobilis.

Parisijs Michaël quidam Hispanus ob S. FRANCISCVM XAVERIVM è medio honorum cursu, ad Christi militiam traductum, ira percitus, S. IGNATIVM eius rei auctorem, interficere omnino constituerat. Cùmque in hospitium ipsius vltro inuasisset, strictoque iam gladio scalas furibundus ascenderet, Diuinâ repente voce perterritus: *Quòd tendu infelix?* retulit gradum, totamq̄e rem cõscientiâ victus, postmodum ipse aperuit.

Prope Bassanum Anachoreta quidam vivebat, Antonius nomine, magnâ virtutis & sanctitatis opinione, qui cùm IGNATIVM curiosius obseruat, nec quicquam singulare in vestitu à communi Clericorum habitu diuersum videt, moreq̄e faciles, & sine vllâ Eremiticæ speciei significatione; vitæ solitariæ normâ, animi eius

metiens sanctitatem, statuit nihil singulare in eo inesse, nihil quod admiratione admodum dignum videretur, ideoque contemnere apud se cõpuit, ac parufacere, sed simplici hominis menti, æquaquam permisit Deus, errorem diuinius insidere. Nam solito vehementius oranti, reuelare dignatus est Dominus, quem ipse parufaceret, Apostolico spiritu plenum esse, & ad multorum salutem, vas electionis electum. Ex quo suam ille temeritatem dolenter accusans, S. IGNATIVM ac socios studiosè dein colere, atque obseruare instituit.

Viuentè adhuc S. IGNATIO, Confessarius eius vir sanctus, Iacobus Eguia, aiebat S. IGNATIVM, non vi naturæ sed miraculo viuere: & S. IGNATIO mortuo, viribus, dissecto corpore, inspectis, nobilissimè pro miraculo non leui habuerunt medici, eum tamdiu potuisse viuere, præsertim hilari semper eodemq̄e vultu exequentem Præpositi Generalis officia. Nam & stomachus præ abstinentiâ & sobrietate, diuturnaque siccitate mirè contractus apparuit, & recur ita obduratum & aridum vt penè lapidesceret. Et in hepatis venâ, quæ Porta dicitur, lapides tres sese inuenisse testatur Realdus Columbus, egregius eâ tempestate sector, in suo de Anatomia libro.

Hanc in Deo, vitæ & existimationis IGNATII curam non ordinariam, ostendunt plurimum laudicum grauissimæ Sententiæ & Compluti & Salmanticæ, & Venetijs, & Parisijs, & Romæ sapius, pro innocentia S. IGNATII lata, quantum aduersarij grauissimis calumnijs & ingeniosis artibus, eius innocentiam traducerent, omnemq̄e ei famam ac existimationem adimere conarentur. Sed celeberrima fuit omnium Romana S. IGNATII defensio, in grauissimâ omnium criminatione, à quodam excitata Monacho, hæresi Lutherianâ infecto, qui cùm spatioset IGNATIVM sociosq̄e omni scelerum genere coopertos, tum in Hispania, tum in Gallia, quin etiam nuper Venetijs falsæ religionis & probi flagitijq̄e damnatos, & elapsos è iudicum manibus, ad corrumpebam iuuentutem specie pietatis Romam venisse, & alia id genus per se & suos sereret, tantam in inuidiam & odium, breui S. IGNATIVM & socios adduxit, vt eos multi iam quasi facinorosos ac fugitios horrerent, ipsorumq̄e congressum ac consuetudinem refugerent. Nec modo in vrbe vulgisermonibus hæc infamia terebatur, sed apud exteras quoque gentes ac prouincias, aduersationum nuncijs ac literis percrebuerat, Ignatianorum cum suo capite, manifestorum scelerum, ac hæresis conuictos teneri. Sed Dominus Iesus, qui sancto IGNATIO Romam eunti se promiserat propitium fore, in hac calamitate præsto adfuit. Nam plane diuinitus factum est, vt quotquot in Italia, Gallia, Hispaniaq̄e IGNATII iudices extitissent, sub ipsum ferendæ sententiæ tempus Romam



Romam ferè omnes, alius alià de causa conueherint. Hi omnes ad iudicium vocati, aduersariorum commenta detexere, cum summa testificatione virtutis ac pietatis S. IGNATII. Præterea litteræ ciuitatum, apud quas Italiâ totâ, Patres aliquandiu vixerant, per idem tempus allatæ, inagnum pondus ad illustranda eorum merita, & refellendas iniquorum calumnias attulere. Quibus rebus adductus Urbis Præfectus, vt gente Summi Pontificis iussu, suâ sententiâ, S. IGNATIUM omni non modò culpâ, sed etiam culpæ suspitione liberauit verbis amplissimis. At verò S. IGNATIO minimè urgente, insidiatorum longè dissimilis fuit exitus. Michaël quidem fraude patefacta in exilium missus: alter paulò post iudicium, graui correptus morbo, mortuus est: alter ad hæreticorum castra confugit, effugientem suam pro se iudicibus cremandam, reliquit: quartus perpetuo addictus est carceri.

Eadem Diuina erga IGNATIUM beneuolentia, & domesticis aliquot exemplis confirmari potest. Erat vnus è primis S. IGNATII socijs, necdum perfectâ virtutis cognitione imbutus, qui cum solitudinis amore pellectus, & vitæ S. IGNATII labores, cum illius otiosa quiete, & huius pericula cum illius, vt ei videbatur tuto perugio conferret, accipitiq; distractus animo, instituti Societatis magnitudinem expauesceret, Anachoretam sanctitatis famâ celebrem, consilij petendi causâ adire constituit. Sed vix extra domicilium extulerat pedem, cum ei vni obiectum est spectrum viri armati, truncibus oculis, stricto gladio minitantis: quo viso, cum ille nihilominus ad Anachoretam pergeret, iratus ille ac furens, in obuium irruere visus; nec prius insequendi finem fecit, quàm ille præcipiti cursu, in S. IGNATII refugium amplexum; obstupescens ubique in eo, quem cum pavore fugientem effusè cernerent, cum tamen quem fugeret, non videbant.

Acerbior extitit alius quidam Pater, impetu quodam animi abreptus in S. IGNATIUM ac contumacior: pro quo in Missâ orans sanctus Pater instantius, & magnam vim lacrymarum profundens, clamabat ad Dominum: *Ignosce Domine, Parce Domine. Cui Dominus: Sine me, ego enim pro te vindictam sum am, ego (nisi respiciat) vltor existam.* Accidit autem postea, vt ille Pater in templo quodam, Sanctorum reliquias venerabundus intueretur, & inter beatissima ossa quasi hominis aspectum videret; truci vultu, flagellum intentantis, nisi IGNATIO pateret. Eo viso, quanquam homo tumorem compressit, animosque submisit, multis tamen postea magnificæ molestiis affectus est, vt verissimum fuisse constaret, quod S. IGNATIO fuerat à Deo signficatum.

## CAPVT DECIMVMSEXTVM.

*Illustria S. Ignatij adhuc viuentis miracula.*

Quamuis probatio sanctitatis non sit signa facere, vt ait S. Gregorius Papa, hinc S. Ioannes Baptista ad eò Diuini oraculis ob vitæ sanctimoniam celebratus, nullum viuens fecisse signum in sancto Euangelio asseritur: quia tamè vulgi opinio miracula à Sanctis exigit, eaque auctore S. Bernardo, etsi merita non sint, sunt tamen signa meritòrum; IGNATII sanctitas, & hoc miraculorum nitore non caruit. Et qui dem in Processibus pro eius Canonizatione confectis, supra quæcenta miracula ab eo edita, multorum iuratorum testium concordia, & graui assertionatione confirmata narrantur.

Hic aliqua præter alia mira supra non vno in loco commemorata; quæ viuenti S. IGNATIO contigerunt, recensenda sunt:

Barcinone Lyllani duo fratres de patrimonio diu litigauerant. Ac denique is, qui causa ceciderat, præ nimio dolore ad vltimam desperationem redactus, è cubiculi trabe, laqueo sibi vitam ademit. Id simul atque IGNATIUS audiuit, confestim aduolat, pendente ex infelici tigillo funem præcidit, mortuum collocati iubet in lectulo. Dein seorsum nixus genibus, pro salute ipsius Deum orare non sine lacrymis institit. Res mira: deprecate S. IGNATIO, tunc Græmaticæ operam dante, cunctis qui aderant in lectulum obuertis & expectatione suspensis, mortuus repente ad vitam redijt, vocisq; vsu eatenus duntaxat recipit; quoad vocato Sacerdoti, peccata ritè confessus, ac demum expiatus, animam è Tartari faucibus ereptam, Domino reddidit.

Bastidam quendam, epileptico seu comitiali morbo, à multis annis laborantem, sublati in celum oculis ac precibus, extemplo sanauit.

Multos Energumenos, crucis signo sæpè à dæmonibus liberauit.

Fæminam Phylis prope ad interitum deductam, sanitati restituit.

Simonem Rodericum morti proximum, pio amplexu, à morbo liberum reddidit.

Ioanni Baptistæ coco, manum vsolatam & prorsus ad manualia opera inutilem, sub nocte reddidit; sus precibus integram & sanam sequenti die restituit.

Cum æger redijisset in Patriam, febricque quotidianâ laborans, conciones ad populum patentibus in campis (quod populi frequentia templa non caperent) sæpè haberet, quamuis vocem contendere ob imbecillitatem nequireret, singula tamen concionantis verba, trecentorum amplius interuallo passuum, ab omni-

bus



bus exaudiebantur & intelligebantur percommodè.

Alexandrum Petronium, in obscuro, ob clausas fenestras ac portam, & tenebricoso cubiculo iacentem inuisens, illum suæ faciei supernaturali splendore illustravit, atque sanavit.

Eleutherium Pontanum per duos annos, & eò amplius, grauisimis quibusdam à diabolo tentationibus oppugnatum, suo aspectu & sermone penitus ab illis liberavit. *Ego istud, inquit in re simili S. Bernardus, suscitata miracula mortua censeo preferendum, quòd exterior quidem ibi, hic verd interior reuixit homo.*

Cùm Lauretanum Collegium grauisimè infestaretur à dæmonibus, in varijs humanis belluinisque formis sese spectandos obijcientibus, & adhibiti vñtati exorcismi, aliaque his adhiberi solita, terrores illos nequaquam depellerent. Rector Collegij per epistolam ad sacrificia & preces IGNATII confugit. Ille re cognitâ, suis precibus & epistolâ confestim non modò in præsens, verùm etiam in posterum Collegium ab illis dæmonum terculamentis liberum reddidit.

Mulieris arido & emortuo brachio vitam & motum reddidere panni sancti IGNATII piè ab ea abluti.

Iudæum quendam Isaac furenti & obstinato animo Christiana Sacra respuentè, cùm ab alijs neque blanditijs, neque vllâ alia ratione ad sanam mentem reuocari posset, adductum ad se S. IGNATIVS, his tantùm tribus verbis prolatis: *Mane nobiscum Isaac,* repentè placauit, atque ad Baptisimum perduxit.

Vir quidam insignis, cùm turbulentior esset, quàm vt eum diutius ferri oporteret, eiusque animum S. IGNATIVS blandis sanate monitis non posset, ad extremum oratione conuersa, Diuinam testatus iustitiam, accœlestis iræ minas intentans, tantum ardorem spiritus præ se tulit, ipsi vt parietes rectaque non dubio motu nutare & concuti viderentur. Quo terrore percussis qui aderant, illico procumbentes, Dei pacem precibus ac votis exposcere. Ipse verò qui accusabatur, exanimis ad pedes S. IGNATII sese confestim abiecit ac supplex confusa voce, culpæ veniam petijt, seq̃e posthac in officio fore pollicitus est.

P. Leonardum Kesselium Coloniae manentem, magnum inceserat desiderium videndi sanctum IGNATIVM Romæ tunc existentem, plus 300. milliarijs inde distantem. Cùm ergo à sancto Patre petijisset per literas sibi vt Romam pedibus ire liceret, respondit S. IGNATIVS, eius præsentiam Coloniae propter aliorum utilitatem necessariam esse. Præterea ne de statione decederet, posse Deum aliâ ratione sui videndi copiam dare, sine tam longi itineris laboribus. Igitur die quadam P. Leonardo vigilanti,

viuus adhuc & spirans S. IGNATIVS apparuit, cum eoq̃e diu differuit, miroq̃e gaudio eum perfudit.

Sæpè morbo oppressus sanctus Pater, si quis nodus existeret, ad quem expediendum virtute illius esset ac prudentiâ opus, statim quodammodo conualecebat, & animo corpus regente, sanus fortisque videbatur. Ex quo illud iam domesticis tritum erat, quoties ex morbo decumberet, optandum esse, vt aliquid eiusmodi existeret, ad quod explicandum IGNATIVS è lecto surgere & morbum depellere cogetur.

#### CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

##### *Varia miracula à S. Ignatio post mortem edita.*

IN Processibus pro Canonizatione sancti IGNATII, primùm autoritate Ordinatorum, deinde Sedis Apostolicæ, confectis, plura quàm ducenta recensentur miracula S. IGNATII meritis & interuentu, post mortem patrata. Sunt præterea & alia quàm plurima, non minus vera cæteris, necdum in tabulas publicas relata (quia priora pro Canonizationis negotio, fuerit sufficientissima) grauisimis tamen testimonijs, hominum omni exceptione maiorum, confirmata, typisque & Romæ, & in alijs Italæ locis, & in Hispania, & in Germania, & alibi cum approbatione eorum, quorum intererat, vulgarata. Hoc loco aliqua tantùm in medium adferat libuit, quia multa, ob promissam compendij breuitatem, non licet.

Cùm S. IGNATII defuncti corpus, exequiarum causa, iaceret in feretro, Bernardina Romana, filiam strumis iam diu laborantem quam arte nullâ medici sanare valuerant, ad osculandas mortui manus admoventer vehementer optabat, certam ex eo contactu filiz valetudinem sibi pollicita: sed cùm præ turba, impetu sæpè capto, puella nunquam ad sacrum corpus accedere potuisset, mater ex sancti IGNATII vestimentis frustulum adepta, simul atque collo filiz alligauit, morbus euanuit.

P. Nicolaus Bobadilla longâ febrî diu vexatus, qua, cùm in lectulo B. Patris recubisset, illico liberatus est.

Minorissæ matrona nobilis tres ipsas horas ante partum nullas viuentis in vtero prolis, motiones experta, factum mortuum effuderat, cuius cùm infelicem exitum deplorarent altantes, maximè quòd sacris Baptismi aquis, tinctus non esset, tandem obtetrix, elapsa semihorâ post partum, præferendo spiritu S. IGNATII opè implorat. Vix preces exorsio fuerat, cum proles liuida iam & subnigra reuixit.

Infantem mulieris Indæ filium mortuum S. IGNA-



S. IGNATIUS inuocatus, vitæ restituit.

Cæcis compluribus lumen oculorum : surdis auditum : claudis gressum, mutis loquelam : paralyticis, alijsque desperatis à medicis, mortique iam proximis, perfectam sanitatē reddidit.

Multis post mortem apparuit, aut molestas tentationes discutens, aut à morbis periculisque liberans, aut salutaria monita tradens, aut futura prænuncians, aut cælesti dulcedine suos clientes perfundens : quin etiam illo ipso quo Romæ obiit, momento ( vti postea ex horarum collatione compertum est) sanctæ & nobili faminae, Margaritæ de Lilijs, gloria splendidus apparuit, cælum petens, eique tanquam insigni Bononiensis Collegij benefactrici, Societatem commendans.

Multi dæmones ex obsessorum corporibus, & ex ijs quæ infestabant domicilijs, sancti Patris Reliquijs, & eiusdem imaginibus appensis, exacti sunt.

Multos morbos, oleum lampadis ante eius imaginem ardentis, mirabiliter depulit.

Plurimis difficili partu extremè laborantibus, inuocatus S. IGNATIUS succurrit, sterilibusque prolem dedit.

Carpentora acti cum honesta matrona infantem Mauro immotoque similem edidisset, & dubitaretur, quid in re pene prodigiosa faciendum esset, salutarinè vndâ tingi posset, an expectandum, donec spirare deprehenderetur, sancto tandem IGNATIO inuocato, suauis cuiusdam Canonici, puer non tantum saluus, sed alacer etiam ac formosus apparuit.

Nonnullos à Pleuritide sanauit.

Aliquos ab hostium incurfione defendit.

Aliquot præceps ruentes, ne læderentur, inuocatus effecit.

Cosentæ pridie festi S. IGNATII Angelus Lopezius ad animi sui significationem aliquot in fenestris laternas papyraceas collocauerat, adiuncta Beati Parentis effigie singulis, & vsurpabat identidem magno sensu gratulationis. Io. Loyola, B. Pater Io. cum ergo maximè gestiret, accidit, vt ignem flante vento laterna cõciperet, quam deslagrare animaduertentes, nihili quidam de plebe homines, irridere viri pietatem, exprobrare superstitionem, alliterationibus etiam amariusculis inuicere festam acclamationem. At, at, Beatus viritur, at, at, Loyola crematur. Excanduit hinc immodicè Angelus, & actus intemperantia religionis in IGNATIUM; Ego verò, sic existimo, ( inquit ) eam esse Beati Viri sanctitatem, ambustam vt imaginem ab incendio vindicare possit. Neque fefellit opinio, quippe flamma, depasta chartam adiacentem, abstinuit ab imagine, vel attestata viri sanctimoniam, vel obsecuta religioni operantis.

Bracarum, infante in lucem progresso, mater

Lancii Opus Tom. 2.

multos dies continuo sanguinis fluxu debilitata, vix ipsa ne sanguinem sequeretur, continebat animam; epotâ aquâ, quâ filum de Beati vestibus extractum immauerat, & sanguinis stitit profluuium, & pristinas corporis vires rediisse persequitur.

In Oppido Guimaraensi honesta fæmina amissis oculorum auriumque sensibus, cælesti iam præmunita viatico, sacroque oleo delibata, mentis experta iacebat; cumque ei postremæ voces piè acclamarentur, affidenti pro amicitia fæminæ occurrit; nuper sibi à filio, in Societate degente, missam esse particulam cinguli, quo in viuis B. Pater corpus astringere solitasset : magnâ ergo fiducia, & in Deum reuerentiâ eam applicat ægrotâ, quo facta, illa paulatim sensus recipere, respirare, manus explicare, ingeri cibû sibi postulare, medicis ob repentinam salutem obstupescitibus : quæ omnia iuratis postmodum testimonijs, publicè sunt confirmata.

Calari filius cuiusdam natu maior, inter prandendum arripito cultro minoris fratris ferit oculum; Nobilis item puella simili modo dū accumbentibus cibos diuidit, grauiter in altero oculorum læditur; ambo Beati IGNATII imploratâ ope, præter aliorum spem, omni periculo fuere liberati.

Aliam, quatuor mensium languores continui, ad debilitarant, omni vt pedum officio eam priuarint; aduentante sacro die S. IGNATII, cum frui & ipsa communi in templo nostro lætitiâ percuperet, suo minimè frustrata desiderio fuit; depulso enim malo, pedibus pristinae firmitati restituta, læta sacris astitit.

Ibidem concrepantibus vndique tormentis bellicis, die qui festum Beati IGNATII præcesse rat, puella necdum loqui sciens, & ad cuius aures nunquam IGNATII nomen peruenerat, cum admiratione omnium inclamauit : Cras Beati IGNATII dies est; adstantes auditâ re admirabili rei meliùs experiundâ, denuò quidnam sequenti die futurum sit, ab infante exquirunt; eadem responderi audiunt.

Majoricæ, fæmina luxatione neruorum claudicabat, ita vt nisi fulcris innixa non incederet; itaque cum tota iam ciuitas tympanorum, vocum, tibiaramque concentu perstreperet, illi Deus nostrum templum adeundi iniecit mentem. Ite parat, dissuadet soror, ne multitudine hominum compressa intereat. Nihil audit hæc, iter aggreditur, & ecce tibi inopinata sanitas, firmitasque pedum; grallas ponit, & nullo admiculo vsa in templum venit, vbi sacrum Eucharisticum fieri gaudens postulauit.

Aliam quæ præteritis annis, eiusdem Parentis optimi beneficio lumen receperat, iam desperatâ salute Physici quatuor reliquerant, illa verò non nescia per quem lucem aspexisset, omnes iterum spes, cogitationesque in eundem medicum

E e e d i c u m



dicum conjicit. Vocat itaque nocte quadam puellam, ex ijs vnam, quæ assidere illi solebant, atque *propera*, inquit, *curriculo contendere, emittentem splendorem intueri: si præsto fuisses, ocyus vidisses, ruique meum sanctum hic IGNATIUM me inuisentem, incolumis enim ego iam sum & salua.* Exitus probauit dicta, ipsi etiam medici affirmare coacti sunt, occulta vi fuisse sanatam.

Montij in Gallæcia, cum ingens incendium per dies aliquot syluam absumeret, totoque tractu sumptis viribus sese longè lateque diffunderet, nullaque humana vi retundi reprimique posset, ventoque repente flante, totum incendiū ad messes oppidumque accederet, nec iam ab agrorum ædiumque conflagratione, tres quatuorue passus distaret, quicquam arreptā S.IGNATIUM imagine, quam secum ferebat, qua parte ignis vehementius se iactabat, & deteriorem cladem minabatur, factā precatione in mediū coniecit, statimque vis illa furorque remissus est, flamma quæ altissima erat, deiecta, ac penitus euaniuit, totum denique incendium retro ad fastigia, quæ descenderet, celeriter reuersum. Et quod mirabilius est, mulier, quæ imaginis iactū attentè perspexerat, in ipsos fumantes stipites insilijt, digitis cineres scalpit, nulloque ardore impedita, è medijs prunis S.IGNATIUM imaginem extraxit.

Friburgi, cuiusdam mulieris filiolus triennis brachiolum confregerat, mater iram absentis mariti pertimescens, sanctum IGNATIUM inuocat: vix illa preces absoluit, natum ingenti lætitiā sanum & integrum ante oculos intuetur.

Vulneratis grauissimè, & ad curationem vulnerum, longo temporis tractu indigentibus, S.IGNATIUS inuocatus, repente succurrit.

A multis pestilentie lues, sæuissimè enecans quàm plurimos, vel illatæ imaginis S.IGNATIUM præsentia, vel eius reliquiarum contactu abacta est.

Platijs, Baro quidam conspicatus cælum densis nubibus atrisque obduci, graue tritico in areæ aceruato incommodum timebat: fecit arcedæ tempestatis votum, sancto IGNATIO, & cum pluujs omnia natarent, Baronis aream ne gutta quidem tetigit.

Neapoli Vincentius Paganus, dum in celebritate sancti IGNATIUM, artificiosos ignes parat, per imprudentiam manū fœdè adurit: accurritur à feminis agnatis, & vstulatæ dextræ chyrographum S.IGNATIUM supponitur, ad cuius tactū illico remisit dolor, & qui nonnisi statuta die descēdit solet, ambustæ partis ardor, nihilosecius extemplo refruxit.

Hypothus nauticator magnā prope Neapolim pelagi tempestate iactatus, fluctibus iam absorbebatur, & inuocato sancto IGNATIO, cōtinuò deseruit æstus agitati maris.

Catanzarij honesta femina filium è Gasparo Mariscano coninge susceperat, cui ducta S.IGNATIUM obseruantia, nomen IGNATIO indi cupiebat, malente viro (quod in vrbe facta D. Irenæi ossa asseruarentur) Irenæum dicit: qui demum post diurnam altercationem conueniunt inter se, ut puer Ignatius Irenæus appellaretur. Verum ea consensio, fuit iuge litium seminarium. Vxor enim Ignatium & nuncupabat, & nuncupari à vernaculis seuerè exigebat: contra Gaspar, omnes vrgere, dicerent Irenæum. Erat fere mensis accepto iurgio tertius, & vterque mane quodā in asserendo nonnihil incaluerat, cum ioco pater, contentio, inquit, pueri arbitrio decernatur. Mater conditionem accipit: tum Pater percontatur ludibundus à trimestri filio, quomodo appellari vellet, cum eecè diuinitus infanti, vi fandi donatū identidem distinctè hoc nomen effatur, IGNATIUS. Commouit vox illa patrem, qui nouitatem admiratus prodigij, IGNATIUM exinde nominari infum filium S.IGNATIO mancipauit.

In occidentali India in agro Peruano Christophorus Martinus de Peredes quadriennio integro, vno primū, post gemino scipione pedum imbecillitatem sustinere cogebatur, is perceptā in B.IGNATIO celebritate, letitia populi gestientis: *Egone, inquit, hoc die cunctis triumphantibus, a symbolo quasi abeam? solus marear? Vix loquendi fecit finem, cum pedibus vires adduntur, firmantur adco, ut ipse sine alio adminiculo, alterā statim luce in Collegium ieret.*

Benedictum Lopezium Argentifodinz Prefectum, dum Æthyopem fugitiuum insequitur, quinque ex aduerso homines aggrediantur, punctim cœsimque petunt, exequo deturbant, inhumaniter tractant. His in angustijs ille sanctum IGNATIUM inuocat: statimque sanctus Pater & videndum se obulit laboranti, & ambabus manibus apprehenso epitogio, hostium ictus auertit. Ille demum his in fugam, beato in cælum, euntibus, incolumem se & integrum, vulneratis licet vestibus & galero, reperit.

Nobilis quædam femina Auenione, filium habebat magnis & assidujs exercitijs febribus, cui insuper manus altera vi morbi luxata conuulsaque fœdum in modum resupinabatur, ut ex medicorum sententia, si minus vitam, dextræ saltem vsum perditurus videretur. Mouit ea res religiosam virginem, ægro propinquitatis nomine coniunctam, vt S.IGNATIO tria Sacra, totidemque cereos pro salute nepotis voueret. Quo factō, confestim puer omnino conualuit, manūque suo loco restituta, hædem miraculi fecit certiozem.

Isabella Rebelles Sanctimonialis dum Baccinone aliquid operis in alto loco molitur, repente tam graui casu ad terrā collapsa est, vt totū os coxendicis seu fœmoris, quod maximum est



est in humano corpore, contractum fuerit. Vocatus medicus & chyrurgus, omnia medicamenta, quae illorum ars postulabat, summa diligentia per 40. dies & eo amplius, euentu plane irrito, adhibuerunt. Denique eò valetudo deuenerat, vt aegrotata apud omnes esset citra vllam spem salutis, & eadem die moritura crederetur. Sed vt reliquam S. IGNATII ossi contracto applicauit, statim sanata est.

Hieronymi Honuphrij puer decennis in supercilio lethale vulnus prope tempora accepit, propter quod totius oculi tumor & vehemens febris accesserant. A chyrurgo per mensem integrum medicamenta, irrito conatu, adhibita. Etenim vulnus non solum non solidabatur, sed adeò latum & profundum erat, vt inferendum esset linamentum digitale, tantaque sanie ac putredine fluebat, vt chyrurgus ipse fatis miraretur. Mater voto facto puerum sancto IGNATIO commendat. Et ecce dum aduocato altero chyrurgo ad certius curationis consilium, remouentur fasciæ quibus vulnus erat opertum, illud penitus obductum, clausum & solidatum inuenerunt.

Ferdinandus Pretel in febrim primò tertianam, deinde duplicem, mox pestilentem incidit, cum quodam mentis stupore, & extraordinarijs horribilibus, à medicis destitutis in supremo iam mortis discrimine versabatur. Omnis ergo Sacramentis ad mortem instructus, tenens imaginem S. IGNATII, eum inuocauit, & extemplo conualecete cepit, maloque liberatus est.

Anna Barzellona ferè sexagenaria, per biennium & eo amplius paralyti tam grauitè vexata fuerat, vt immobilis esset ad omne opus, & gradus ascendere aut ex iisdem descendere non posset, nisi scipionibus innixa: quorum tamen beneficio potius reptabat, quam incedebat. Cum admota medicamenta nihil proficerent, ecce nouus apoplexiæ in altero latere morbus accessit, propter quem omninò impotens atque immobilis effecta in lecto decubuit. Humanis itaque remedijs se omninò destitutam intelligens, ad Capellam sancti IGNATII intra spatium duarum horarum accessit: adiuta auxilio Margaritæ sororis suæ, & admuniculis scipionum: ibique certo voto in honorem S. IGNATII emisso, illicò melius habere cepit, genu quod prorsus erat immobile, statim flexit, institutam orationem absoluit, singulari quodam voluntatis sensu perfusa surgit, & demum lætabundè regreditur gradu expedito.

Ioannæ Claræ & Noguera viduæ Maioricensi cecitate laboranti, facultatem videndi reddidit S. IGNATIUS, frustulo eius ossis ac subscriptione eiusdem oculis applicatâ.

Plura qui volet S. IGNATII miracula, in vltima eius vita à Petro Ribadeneja Hispanicè edita, Madriti Anno 1601. impressa, & ab alijs Lancicij Opusc. Tom. 2.

Latinè, Græcè, Italicè, Polonicè alijsque linguis reddita, inueniet, in præcipuis Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ Urbibus alibi typis vulgata.

## CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

*De admirabili Sanctitate S. Francisci Xauerij Socij & Spiritualis filij S. Ignatij in eius gloriam redundante.*

Natus est Franciscus Xauerius Anno Domini 1497. in Castello Xauera nobilibus Parentibus, Ioanne Lasso, regij consilij Præfide, & Maria Azpilenera Xauerij Oppidi, & aliorum circa locorum Dominis, à quibus piè educatus Lutetiam Parisiorum missus est, vbi cum litterarum studijs animum excoleret, à S. IGNATIO per Exercitia Spiritualia, & pios sermones, ad Spirituale Christi militiam cum octo alijs socijs, virtute & ingenio præstantibus, tractus est. Tandem cum Venetijs, Bononiæ, alijsque in Italia Urbibus præclaro sanctitatis exemplo & concionibus, alijsque pietatis officijs profuisset, Sacerdotio insignitus, rogatu Ioannis Tertij Lusitanæ Regis, à S. IGNATIO missus est in Indiam ad Orientales populos Christo adiungendos, à Paulo Tertio Pont. Max. potestate & dignitate Nuncij Apostolici ornatus.

In India fundatis multis Ecclesijs & Societatis Collegijs, disseminauit vbique Christi fidem: Trauancoridis Regnum Christo adiunxit, tum Ceilanum Insulam, tum Auream Cherfonnesum, tum Mauricam regionem, tum alias atque alias gentes barbaras: tum Iaponiam vltimam Orientis oram, vbi nunquam antea Christi nomen auditum erat, Euangelio iustravit, indefesso semper animo, per immensa terrarum spatia, per aperta vitæ discrimina, contemptis exaltantis Oceani fluctibus, pyratarum atrocitatis, incommodisque infinitæ navigationis. Tandem in Sinense Regnum amplissimum expeditionem adornauit, vt Christi nomen ac cultum magis ac magis propagaret. Multa per decem annos quos in Indijs exegit, centena hominum millia ad fidem conuertit, & baptizauit: multos vitiorum cæno pertinaciter immerfos extraxit, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Nam in vitâ plures quàm quatuordecim mortuos ad vitam reuocauit. Vnum puerum in ora Piscaria per horas aliquot in puteo demersum. In Oppido Mutan puerum alterum febre pestilenti extinctum, & per 24. horas ab obitu iacentem. Comorini tertium mortuum qui iam per diem integrum sepultus sub terra iacuerat, suscitauit. Propè Promontorium Comorinum vnam puellam, non longè ab eo loco, vxorem eiusdem: In Insula Vaccare prope Ceilanum, pue-



puerum cuiusdam infidelis: Malacæ filiam cuiusdam recens ad Christum conuersi: Bembari puerulum quendam; alterum Comorini: Panicali quendam qui per diem extinctus iacebat: Antonium Mirandam propè Manaparum: Malacæ filiam cuiusdam quæ iam per tres dies sepulta & humo obruta fuerat: Filium Malometani Saranguij, qui triduum sub aquis demersus extiterat, similiter vitæ restituit; vt omnitram alios ab eo adhuc viuente suscitatos.

Post mortem totidem ferè mortuos suscitauit. Sanè in Processibus pro Canonizatione factis, circiter viginti quinque mortui ad vitam ab eo reuocati leguntur. Sæpius cæcis visum restituit, energumenos liberauit: quàm plurimos desperatos à medicis sanauit, leprosos mundauit, maris tempestates sedauit, naues à naufragio eripuit, claudis gressum reddidit, paralyticis sanitatem. Multa futura verissimè prædixit, cogitationes cordium introspectit, occulta & absentia certò cognouit. Pluribus in locis valdeque distantibus, eodem temporis momento, sese videndum præbuit. Diuersarum gentium linguis quas ante non didicerat, ita expedite, aptè, & eleganter loquebatur, ac si apud eos populos natus educatusque esset. Contigitque nõ raro, vt dum apud circumfusam multitudinem diceret, variarum nationum homines illum audierint, suã quisque linguã eodem tempore loquentem. Contigit etiam, vt vnã responsione, diuersis ethnicorum interrogationibus satisfaceret. Tanto Dei desiderio & amore rapiebatur, vt sæpè ardente vultu, flagrantibus oculis, atque in cælum defixis, diuinitus attolleretur à terra, ac cælesti superaffluente lætitiã, exclamare dulcissimè cogeretur: *Sat est Domine, Sat est.* Aquam maris salis in multis valis nauis, factò signo Crucis, dulcem reddidit. Cùm Crucifixũ æneum quem è collo detraxerat, ad sedandam maris tempestatem, in mare demersisset, & casu amisisset, sequenti die in litore deambulans, vidit cancerum marinum, Diuinã vi, illum ipsum Crucifixum chelarum moribus ad se adferentem, eumque cum recepisset, cancer illicò in mare, vnde exierat, se recepit.

Multis alijs miraculis editis, omni virtutum genere clarissimus diem obiit Anno Domini 1552. 2. Decemb. in insula Sanciano propè Sinas. Corpus eius multo post mortem integrum inuentum est, etsi nec exenteratum esset, nec villo oleo delibutum, quin etiam viua in calce sepultum. Quin etiam multis post obitum mensibus, viuidum, succo & viuo colore plenum, molle ac tractabile apparuit, & odorem mirificum ex se effundens, & nonnunquam etiam sanguinem. Ideoque statim ab obitu pro Sancto haberi & coli cæpit, non à Christianis tantum, sed etiam ab ethnicis, crescente præsertim in dies magno miraculorum diuersi generis nu-

mero. Constat enim ex Processibus pro eius Canonizatione factis, plures mortuos ab eo esse post mortè resuscitados: Plures lampades ante eius imaginem sine oleo, sola aqua lupercinã artisse, ac si oleum continerent. Nonnunquam, extinctas, per se sine vlla ope humana ignem concepisse, varios à lepra, paralyti, cæcitate, disenteria, canceris, vlceribus, alijsque morbis aut desperatis, aut incurabilibus per eum, eiusque vel reliquias, vel imagines, liberatos.

Hic tantus vir, Indiarum Apostolus merito appellatus, tanto cultu prosequēbatur sanctum IGNATIUM, vt quoties eum coram domesticis nominaret adhuc viuētem, vel Sanctum, vel Beatum appellaret: dum verò litteras ad eum scriberet, genibus flexis præ reuerentia id faciebat, & in reliquiariã thecã, nomen IGNATI adhuc viuētis, tanquam reliquiã Sancti alius magni, ex eius ad se epistola excissum, ferebat: ab eius consilio ac directione, instar pueruli totus pēdebat, eximiam de IGNATI sanctimoniam & prudentiam opinionem fouens, & in omni occasione demonstrans. *Quæ verba*, inquit in re simili S. Chrysostomus Hom. 1. ad popul. *omnem ipsius virtutem demonstrare sufficunt: Sanctorum enim iudicia, nec ad gratiam, nec ad inimicitiam sunt, sed ab omni sunt dubitatione libera, &c.*

## CAPVT DECIMUMNONVM.

*Sancta Teresa Virgo, magna Sancti Ignatii gloria causa extitit.*

**S**I gloria Patris est filius sapiens, teste Scriptura; magnæ S. IGNATIÏ gloriæ causa fuit, Virgo SS. Teresa, PP. Carmelitarum Disceptatorũ Illustrissima Fundatrix, excellentissimis virtutibus, ac plenè Heroicis splendida, intimã Christi consuetudinem, per euertissimã contemplationis gradus experta: mysticæ Theologiæ scriptione mirabilis: summorum laborum patientiã clarissima; Carmeli reformatione, orbe toto laudatã; à Christo in Sponsam acceptã; præ Diuini amoris impetu, sæpè extasim passa; ignito Cherubini spiculo, præcordia traicientis, admirabilis: inexplabili salutis animarum litri accensa; intemeratæ Virginitatis flore candida; Diuinis visionibus, prophetante spiritu, ac multiplici gratiã sanctatum; in vita & post mortem, toto orbe celeberrima: hæc inquam sanctissima Virgo, magnæ S. IGNATIÏ gloriæ causa fuit; quia Societatis IESV per S. IGNATIUM institutæ, se filiam agnouit, eiusque operã & in Confessionibus factis, & in Spiritualium rerum magisterio vsa est, & multa, Deo reuelante in commendationem Societatis IESV, cognouit, verboque ac scripto testata reliquit: præsertim in vita sua, quam iussu cuiusdam insignis Theologi ex Ordine S. Domini conser-



psit. Ex qua deinde Italicè, Romæ impressa Anno 1601. & ab Archiepiscopo Auenionensi dedicata Clementi VIII. Pont. Max. hoc loco Latine ad verbum reddita, quædam referentur.

Capite 5. Pag. 47. dicte vite sic Sancta Tereſia scribit.

Mansi in hac cæcitate credo plusquam 17. annis, donec quidam Pater S. Dominici valde doctus, mihi aperuit oculos in aliquibus rebus: & illi ex Societate IESV totaliter mihi incusserunt tantum timorem: scilicet non parui faciendi quedam peccata, qua quidam rudes Confessarij, dicebant S. Tereſia, non esse peccata, aggravando mea adeo mala principia, sicut postea dicam, &c.

Cap. 23. Pag. 236. eiusdem vite sic eadem Sancta scribit.

Cùm venissent huc Patres Societatis IESV, quibus ego, non cognoscendo vllum illorum, eram multum addicta, tantum quia sciebam modum ipsorum ita vivendi, sicut orandi; sed non me inueniebam dignam loquendi cum illis, nec fortem ad obediendum illis, &c.

Et infra in eodem Cap. Pag. 239. hæc habet.

Fuit propter maius bonum meum ut ego cognoscerem, & tractarem cum gente adeo sancta, qualis est Societas IESV. Porro notandum est, Antonium Kerbekium Augustinianum, in Latina versione vite S. Tereſia edita Moguntia, Anno 1603. typis Io. Albini, omisisse hæc, & serè omnia alia, que sunt à S. Tereſia in commendationem Societatis IESV scripta. Cur autem omiserit, non est difficile diuinare.

Et Pagina 244.

Affligebar quòd domestici me viderent tractantem cum personis adeo Sanctis, vti erant illæ ex Societate, timens miseriam meam, & videbar esse magis obligata, ne essem adeo miseræ, & vt me priuarem meis recreationibus otiosis.

Et infra pag. 246. in ipso fine Capituli sic S. Tereſia ait.

Laudatus sit Dominus, quòd mihi dederit gratiam obediendi meis Confessariis, (quamuis imperfectè) qui quasi semper fuerunt isti benedicti homines Societatis IESV, &c. Cæpit postea anima mea sentire manifestam meliorationem, sicut nunc dicam.

Cap. 24. pagina 249. de Societate sic scribit.

Habitabam propè illos gaudento valde, Lancicij Opusc. Tom. 2.

quòd tractarem frequenter cum illis: quia tantum cognoscendo sanctitatem illorum conuersationis, erat magnus profectus, quem anima mea sentiebat.

Cap. 33. pag. 364. de quodam itinere sibi à Prouinciali imperato scribens ait.

Consolabar multum, quòd scirem in illo loco esse domum Societatis IESV.

Cap. 38. pag. 421. sic de Societate scribit.

Cuius nomen in suo manu scripto originali ipsa S. Tereſia expressit hoc loco, & ore tenus idem narrauit, teste Ribera in vita S. Tereſie Romæ impressa lib. 4. cap. 5. pag. 207. [quam vitam R. P. Fr. Ioannes à IESV MARIA Carmelita Discalceatus, in Compendio vite B. Tereſie, Romæ Anno 1609. impresso, & dicato Paulo V. Pontifici Maximo, vocat historiam fide dignissimam lib. 1. cap. 1. pag. 4.] Sic inquam S. Tereſia de Societate scribit: De aliquibus Religiosis vnus certi Ordinis, & de toto Ordine simul, vidi magnas res, vidi illos in cælo cum vexillis albis in manu aliquoties, & alias similes res magnæ admirationis: propter quod habeo dictum Ordinem in magna veneratione, quia longo tempore conuersata sum cum illis, & video illorum vitam conformem ei, quod Dominus de ipsis mihi monstrauit &c.

Hoc ipsum est in vita S. Tereſia Latine edita à Martino Martinez. Colonia impressa, Anno 1620. à Ioanne Kinckio pag. 303.

Eodem Cap. pag. vite sue eadem Sancta sic scribit.

Cùm essem in quodam templo cuiusdam Collegij Societatis IESV, cum illis magnis afflictionibus quas sensi in animo & corpore, audiendo Missam, quam quidam Pater dicebat pro vno Fratre Societatis mortuo, vidi illum ire ad cælum cum multa gloria, & ex particulari fauore eum comitari Maiestatem Domini nostri.

Capite 39. Pag. 447. in fine capituli.

Cùm essem, inquit, in quodam templo cuiusdam Collegij Societatis IESV, & communicarent Fratres illius domus, vidi pretiosam vestem [seu umbellam, Italicè pallio] supra caput illorum, hoc vidi bis: sed quando alia personæ communicabant, hoc non videbam.

Cap. 40. pag. 455. vite sue sic loquitur de eadem Societate IESV, teste Ribera l. 4. c. 5. eius vite.

Manens quadam vice in oratione cum magna recollectione, suauitate, & quiete, videbar esse circumdata ab Angelis, & valde vicina Deo, Eee 3 cæpi



cœpi orare suam Maieſtatem pro Eccleſia. Fuit mihi indicatus magnus profectus, quem debebat facere quædam Religio temporibus ultimis, & fortitudo cum qua debebat ſuſtentare fidem, &c. Porro Ribera loco citato ponit hæc ipſa verba, sunt sanctæ Teresie à Christo dicta de Societate IESV, uti ea vertit Martinus Martinez, pagina 307. Si verò ipſa ſcires, quas hi futurus sæculis, Eccleſiæ laboranti modo, ſuppeticas ſint laturi. Hanc ſibi ait viſionem etiam ſæpiùs oblatam. Eſti verò in illa Teresie vita, quæ typis edita circumfertur, ſuo hæc familia ſingillatim non indicetur nomine; in ipſo tamen authographo, & in omnibus quos videre contigit, calamo exaratis libris, illius nomen apertè proditum eſt. Hæc quidem Redemptoris IESV verba infra Cap. 40. rursus repetit, non tamen declarato Religionis ipſius nomine: quod tamen dixi, certiffimum eum, & ipſiſſime Teresie ex ore acceptum. Ita Martinez.

Eadem audiens quadam die Sacrum Patris Balthaſaris Alvarez Societatis IESV, Confessarij ſui, vidit eum toto tempore, quo Sacrum duravit, habuiſſe in capite diadema quoddam magni ſplendoris, ut ſcribit Ludouicus de Ponte in vita Patris Alvarez, Cap. 6. §. 1. pag. 69.

Eadem Deo revelante, cognovit dictum Patrem Alvarez Confessarium ſuum, fore ſaluū, ostenditque illi Dominus noster prætantem quendam locum in cœlo, quem eſſet habiturus, & adiecit, quòd ille tunc in terra eſſet aded in excelſo perfectionis gradu conſtitutus, ut eo tempore nullus eſſet in altiori, & iuxta talem gradum reddendos illi gradus in cœlo, & quòd ipſe excederet in perfectione quofuſus tunc in terra exiſtentes. Quo tempore plurimi erant inſignis ſanctitatis in Eccleſiâ, & in ipſa Societate, & extra illam. Hanc cœleſtem revelationem ipſamet S. Teresia retulit, & Patri Balthaſari, & multis alijs Societatis Patribus, & aliquibus ſuis Monialibus, alijsque personis religioſis, quæ id tanquam certiffimum referebant. Quin etiam eandem revelationem S. Teresia notavit in ſecretioribus ſuis chartis, quæ poſtea peruenierunt ad manus Didaci Iepesij Epilcopi Turiaſonenſis, qui Sanctæ huius vitam Hiſpanicè edidit, Anno 1606. & Paulo V. dicavit, & in eis eam legit, alijsque legendam propoſuit, ut ſcribit Ludouicus de Ponte Cap. 11. vitæ Patris Alvarez §. 2. pag. 124. & 126.

Eadem S. Teresia interrogata à quadam ſua Moniali, an ſibi expediret cum Sancto iſto Balthaſare agere, reſpondit: Magna Dei erga te eſſet miſericordia, nam talis eſt, cui anima mea præ alijs omnibus plus debet in hac vita, & qui præ alijs adiuvit me, ac direxit in via ad perfectionem. Ita ſcribit Ludouicus de Ponte in vita Patris Alvarez, Cap. 11. initio paginæ 117.

Eadem S. Teresia multis annis poſt ſuam mortem, apparens cuidam famulæ Dei, S. Matti

Teresiæ valdè denotæ, probata virtutis & fidei: volens ipſam in quadam magna afflictione ſolari; inter alia multa, hæc verba ei dixit: Ego ſum filia Societatis; habui in ea Confessarium, quem nunc in cœlo & agnoſco, & venero. Quòd intellexit de Patre Alvarez, nam etſi alios quoque ex Societate Confessarios habuit, hic tamen diuturnior fuit, ipſamque magna cura præ alijs iuvit ad præceſſa ſua deſideria executioni mandanda, & de quo ipſa gloriabatur, quòd Confessarium & Magiſtrum eum habuerit. Ita Ludouicus de Ponte, in vita Patris Alvarez Cap. 8. §. 1. pag. 607.

Eadem S. Teresia Deo revelante ſcivit mortem 40. Patrum & Fratrum Societatis IESV, euntem in Braſiliam, & ab Hæreticis occolorum, ſtatimque ac illos occiderunt, dixit Patri Balthaſari Alvarez, ſuo Confessario, ſe eos vidiffe cum coronis Martyrum in cœlo: ut ſcribit Didacus Iepesius Epilcopus Turiaſonenſis in vita S. Teresie libro 3. c. 17. pag. 152.

Eadem vidit animam Patris Gutierrez ex eadem Societate IESV, in Gallia deſuncti pro fide ex ærumnis in carcere toleratis, laureolâ Martyrij inſignem in cœlum deſcendi triumphantem, quemadmodum ſcribitur in vita Patris Suarez impreſſa Lugduni, Anno 1620. initio Tomi 1. de Gratia.

Porro Patres è Societate IESV, qui vel Confessarij S. Teresie fuerunt, vel eius ſpiritum ac revelationes ipſamet poſcente examinarunt, & approbarunt, hi commemorantur à Scriptoris vel tranſlatoribus vitæ S. Teresie.

Pater Fræciſcus Borgias, P. Antonius Araoz, P. Egydius Gonzalez, P. Balthaſar Alvarez, P. Martinus Gutierrez, Pater Salazar, P. Ripalda, P. Paulus Hernandez, P. Rodericus Alvarez, P. Satanderius, P. Fræciſcus Ribera, P. Henricus Henriquez, P. Bartholomæus Perez, & alijs rerum diuinarum conſultiſſimi. Quos nominatos videre lector poterit in Compendio vitæ B. Teresie Romæ edito, à R. P. Fr. Ioanne Carmelita Diſcalceato, lib. 1. cap. 1. pag. 7. & 8. & lib. 2. cap. 10. pag. 51. & lib. 4. cap. 4. & 5. pag. 227. 231. apud Riberam lib. 4. cap. 7. pag. 316. Romæ editionis Italicæ. Et in Compendio Italico Romæ hoc Anno edito, pagina 8. Et in Præfatione Coſimi Gacci præfixa vitæ Italicæ S. Teresie Et in epiltola dedicatoria vitæ eiufdem Latine à Ioan. Kinchio Colon. impreſſa.

Quin etiam initium intimæ & maioris cum Domino familiaritatis & arctiſſimæ neceſſitudinis Sanctam Teresiam habuiſſe, conſilio & operâ cuiuſdam è Societate Confessarij ſui, ita teſtatur R. P. Ioannes à Ieſu Maria Diſcalceatus in Compendio vitæ eius lib. 1. cap. 10. pag. 51. Sub id tempus, inquit, eius Confessarius Abulâ diſceſſit, quòd eam non parum afflixit, ratam vitæ alium ex ſententia ſucceſſurum, Affuit tamen  
alium



alius ex eadem Societate, qui cum animaduertet B. V. Tereſiam pro ingenij nobilitate, ijs à quibus diligebatur amicitiae profeſſione, vicem rependere, quæ affectum erga Diuina diminueret poſſet, ſuadere cepit, ijs neceſſitudinibus nuntium remitteret. Res ſubaltera viſa eſt, ob- tendebat enim ingratiſſimam. At Pater ille orandum dixit, & Spiritus ſanctus hymnum per dies aliquot ad lucem impetrandam iniunxit. Auidè rem aggreſſa eſt, & die quadam cum pro re longius oraret, ſubitaneo raptu, quem viſque ad id tempus experta non fuerat, propè ſenſibus alienata, in animæ centro, audiuit verba hæc: Nolo iam cum hominibus, ſed cum Angelis familiariter verſeris. Quæ ſanè cordi Virginis robur tantum indiderunt, vt quod annis plurimis, nauitate multâ, conſilij oportunitate nequiterat, momento vno peregerit. Hinc clementiſſimus Deus eam alloqui cepit, & creberrimè conſuevit. *Hæc ille.*

Eſt ego huius Opusculi Scriptor in omnibus editionibus Hiſpanicis & Italicis, vitæ Sanctæ Tereſiæ, & Romæ aliquoties, & Neapoli, ab ipſamet ſcriptæ & poſtea impreſſæ, legerim hæc omnia, quæ in hoc Capite recenſui, hoc non contentus, cum reſeuiſſem aliquos Religioſos (quorum nominibus parco) in hoc Regno non ſemel coram ſecularibus ſuis confidentibus ſparſiſſe hæc quæ recenſui, non eſſe vera, poſt felicem electionem Adm. R. P. N. moderni Præpoſiti Generalis Vincentij Carraſæ, rogauit R. P. Petrum de Mendoza, tunc quoque à nobis electum Aſſiſtentem Hiſpaniæ vt committeret alicui Patri in Hiſpania, vt adiret bibliothecam celebriſſimam in Hiſpania Monafterij Regij S. Laurentij, dicti Eſcurial, in qua bibliotheca tanquam pretioſus theſaurus conſeruatur vita S. Tereſiæ, propria ipſius manu ſcripta. Comiſit hoc negotium R. P. Aſſiſtens vni è noſtris Patribus, qui adiit hoc Monafterium, & diligenter curauit ex vita Originali S. Tereſiæ fideliter tranſcribi hiſpanicè, omnia illa, quæ in hoc capite ex vita eius Romæ bis impreſſa, recenſui. Hæc re conſecta & authenticè in Publicum Inſtrumentum relata coram teſtibus, miſit mihi R. P. Aſſiſtens hoc Inſtrumentum Authenticum à quatuor Notariis Apoſtolicis iuratis ſubſcriptum, cum ſolitis clauſulis & ſolemnitatibus. Scripſit hoc Inſtrumentum Notarius Apoſtolicus Hector Dela Barrera, & Montenegro, tanquam is qui coram teſtibus aliquot Religioſis illius Monafterij, in illa bibliotheca hæc omnia in hoc capite à me narrata deſcripſit ex vita S. Tereſiæ propria eius manu ſcripta. Scripſit autem authenticè hoc Inſtrumentum Anno 1646. decima die Menſis Septembris, ad inſtantiam R. P. Fr. Ambroſij de S. Maria, coram teſtibus Joſephò de Penalber, & Dominico Gonzales de Argumozza, & Alphonſo Gomez, Religioſis dicti Monafterij. Porro textus hiſpa-

nicus ab hoc Notario tranſcriptus, plane ad verbum congruit cum mea verſione latina in hoc Capite à me poſita. Accedit, quòd dictus Notarius Apoſtolicus in principio ſui Inſtrumenti expreſſè facit mentionem huius Capituli Decimionii, & pagina 174. Opusculi de Gloria S. Ignatij Antuerpiæ impreſſi Anno 1629. & aſſerit textum Hiſpanicum S. Tereſiæ cum Latina mea narratione concordare. Nullus ergo, niſi malignus & inuidus hæc à me ſcripta in dubium vocare poteſt.

CAPVT VIGESIMVM

De Gloria S. Ignatij ex S. Philippo Nerio deriuata.

**A**Nequam offendamus modos, quibus S. Ignatio gloria ex S. Philippo Nerio acceſſit, breuiter declarandum eſt, quis & quantus vir fuerit Sanctus Philippus Nerius, Fuit is fundator Congregationis Oratorij, ex qua tum viri alij clariffimi, tum celeberrimus ille Annalium Eccleſiaſticorum Scriptor, Cæſar Baroni- nus, & Thomas Bozius author duorum Tomorum de ſignis Eccleſiæ, prodire: Horum Spiritualis Magiſter ac Pater B. Philippus, cum omnibus Chriſtianiſſimis virtutibus mirificè excelleret, virginitatem perpetuè ſeruauit, neque id ſolum, ſed etiam ſuauiſſimum pudicitiae odorem, foetoremque impudicorum hominum diuinitus ſentiebat. Prophetiae dono valdè excelluit, multa occulta & abſentia, & cordium arcana cognouit, multa futura veriſſimè prædixit. Chriſti Angelorum, Sanctorumque apparitionibus frequenter recreabatur. Viuens ipſe plurimis apparuit, & periclitantibus opem tulit. Egros innumeros ſanauit, morti proximò à morte liberauit; mortuum viuens ad vitam redocauit, alterum poſt mortem, vt omittam alia eius inſignia miracula. Saepè orans vel Sacrum faciens, toto corpore à terra ſublatus, viſus eſt: innumeros è peccatorum ſordibus ereptos ad piam religioſamque vitam traduxit, in maximaque apud omnes veneratione vixit. Tandem plenus meritis, octogelimo ſuae ætatis anno Romæ obiit 26. Maij 1595.

Hic tantus vir adeo in tota Eccleſia Dei celebriſſimus & à Deo Sanctorum gloria ſublimatus, vt vocatur in Oratione approbata à Sacra Rituum congregatione, erat familiaris S. Ignatio, à quo ante inſtitutam à ſe Congregationem Oratorij Romani, petiit in noſtram Societatem recipi: quemadmodum eo mortuo illius intimi, Cardinalis Cruſanus & noſter Bellarminus, ſe id à S. Philippo audiſſe narrarunt. Ego ſanè anno 1596. hoc publicè à Bellarmino, tunc noſtro Rectore in Collegio Romano audiui; immo & cauſam ei à S. Philippo narratam tanquam



sibi valde caro, ob quam illum admittere ad Societatem nostram noluit S. Ignatius. Hoc ipsum anno 1630. R. P. Mutius Vitellescus, noster Præpositus Generalis, mihi hoc sciscitanti dixit, se audivisse sæpissimè ex ore S. Philippi, quòd petierit à nostro P. Ignatio, admitti ad nostram Societatem. Postea cum Româ discessissem, & eiusdem R. P. Mutij concessione, ad instantiam Prouincie Bohemice illuc migrassem, cupiens ad perpetuam rei memoriam hæc de te extrare in Archiuo nostro Romano testimonium R. P. Mutij, hoc ab illo petij, 22. Maij anni 1636. per literas ad eum Olomucio datas, & id ab eo obtinui per literas ab eo ad me datas Româ 28. Iulij eiusdem anni, subscriptas eius manu propria, & sigillo Præpositi Generalis obsignatas, quas penes me habeo, & diligenter conseruo, præter aliud earum exemplar quod Româ in Archiuo Societatis conseruatur.

Ab eò tempore S. Philippus S. Ignatium magis cepit amare, & Societatem nostram ab eo institutam: præsertim quia sæpe videbat ex oculis & vultu, corruscantes lucis radios caelestes, in signum, vt dicere solebat, sanctimonie Ignatij, & pulchritudinis interioris animæ illius. Hæc ego primùm audiui Romæ anno 1596. ab Antonio Gallonio, dilectissimo eius discipulo & spirituali filio, intimo meo amico, primo Scriptore vitæ S. Philippi, qui hoc se audivisse ex ore S. Philippi, mihi dixit, & postea idem iururando confirmauit in Processu primo facto pro Canonizatione B. Philippi, scripto à Iacobo Bucio Canonico Lateranensi, Notario Vicarij Papæ Clementis, vt scribit Gallonius, in principio vitæ B. Philippi, & postea idem Gallonius in vita B. Philippi Romæ latinè edita pag. 15. hoc ipsum scripsit de visis à B. Philippo his splendoribus: quod iterum recenset in vita Italica Romæ à se edita. De iisdem splendoribus caelestibus ex vultu S. Ignatij à S. Philippo visis testatur Baccius in vita S. Philippi libro 3. capite 2. numero 12. & Augustinus Mannus cap. 261. selectæ historia. Quod adeo certum est, vt hoc Cardinales Sacris Ritibus Præpositi retulerint in Relatione data Summo Pontifici Gregorio XV. in Consistorio secreto, per Franciscum Mariam Episcopum Portuensensem Cardinalem à Monte, inter motiua pro persuadenda Canonizatione S. Ignatij. Quocirca & in Bulla Romani Pontificis Canonizationem S. Ignatij promulgante, hic ipse splendor à S. Philippo visus in testimonium sanctitatis Ignatij positus est: vt, & in Officio S. Ignatij concessio pro toto mundo, approbato à Sacra Rituum Congregatione, & postea à Summo Pontifice Innocentio X. imperato omnibus Christi fidelibus, vt illud recitent, die 31. Iulij, qui ad Horas Canonicas recitandas ex præscripto tenentur.

Ex eodem affectu erga S. Ignatium, & erga Nostram Societatem, S. Philippus, (vti ad alios

Sacros Ordines Religiosos) mittebat suos filios Spirituales, quos iudicabat esse idoneos pro Societate nostra, eam vt ingrederentur. Et sciens Concionatores Societatis, suas Conciones, ad auxilium animarum dirigere, solebat sæpe cum aliquot è suis venire ad templum nostræ Domus Professe Romanæ, diebus festis, ad audiendas Conciones nostri P. Emanuelis Sa, celebris ex scriptis postea editis, dum concionaretur post meridiem in nostro templo. Quod audiui ab oculatis testibus S. Philippo coæuis.

Post mortem quoque suam S. Philippus, eundem erga S. Ignatium & Societatem nostram retinuit affectum. Cum enim S. Philippus ad petendum ab Ignatio consilium in rebus dubiis confugere solitus fuerit, & cum angetur animo, solo aspectu Ignatij recreari; etiam post mortem Ignatij, eius sepulchrum adire, ibique orare solebat, & necessitatibus quas P. Ignatio post eius mortem commendabat, se à P. Ignatio solitum adiuuari, dixit suo dilecto filio Spirituali, viro integerrimo, benè mihi noto Romæ, Marco Antonio Massa Abbati seculari, Visitatori Apostolico, valde charo Clementi VIII. Romano Pontifici. Quæ duo vltima puncta, quæ hæc immediatè scripsi, Andreas Sorbellongus Episcopus Eugubinus coram Notario Apostolico, iururando testatur est, se audivisse à dicto, Abbate, Massa, suo intimo amico, dicta hæc ei fuisse ab ipso S. Philippo Nerio. Erat enim & iste Episcopus Eugubinus cum Abbate Massa, & aliquot aliis Episcopis, Visitator iussu Clementis VIII. Romanarum Ecclesiarum, vt extrinsecus prudentiæ & pietatis, qui me ad suas confessiones adhibebat, & à me in Nouitiatu Romano, dum illic post studia absoluta manerem Spiritualibus S. P. N. Ignatij Exercitiis, excoli voluit. Extat hoc huius magni Episcopi Sorbellongi testimonium de his duabus rebus sibi ab Abbate, Massa dictis, & ab hoc auditis à S. Philippo iuramento confirmatum, à me non semel accuratè lectum Romæ in quodam Processu factò pro Canonizatione S. Ignatij, cuius authenticum exemplum Româ extuli, & in Archiuo Collegij Craçoujenfis, (cuius tunc Rector eram reliqui donatum mihi ab hæredibus Ildesonsi Manzanedo Sacræ Romanæ Rotæ Auditoris, cui & Francisco Sacro Archiepiscopo Damasceno, & Iohanni Baptista Pamphilio, tunc Sac. Rotæ Auditori, nunc Summo Pontifici, & totius Christi Ecclesiæ Præfidi ac Pastori, examen omnium Processuum à Sede Apostolica, vt moris est, commissum fuit.

Idem S. Philippus, ex beneuolo affectu erga P. N. Ignatium & erga Societatem nostram, post mortem sui vltimi Confessarij secularis Sacerdotis, Petri Spadati Aretini, vnus ex illa Congregatione valdè bonorum Sacerdotum secularium, penes Ecclesiam S. Hieronymi, dictam Italice, della carità, manentis, mortui cum magna



magna opinione virtutis, elegit à Nostra Societate Confessarium P. Ioannem Baptistam Peruscum, vitam valde Spiritualem & sanctam, antea Prouincialem Prouinciæ nostræ Mediolanensis, eique per aliquot annos ordinariè confiteri solebat. Hoc est, ab anno 1583, quo S. Philippus ex domicilio S. Hieronymi, ad instantiam suorum iussu Gregorij XIII. migravit ad domicilium Congregationis Oratorij à se fundatæ, penes Ecclesiam S. Mariæ in Valicella. In quo domicilio manens confitebatur nostro P. Perusco manenti in Domo nostra, vsque ad anni 1593. 23. diem Mensis Iulij. Quo tempore S. Philippus erat Præpositus illius piissimæ Congregationis ab ea electus, vt esset Præpositus vsque ad mortem. Sed cum ingravescente ætate, (quippe octogenarius) nollet amplius illam Congregationem gubernare, & importunè impetrasset, per aliquot Cardinales, vt Clemens VIII. annueret eius desiderio, optimi illi Patres coacti elegerunt in suum Præpositum Cæsarem Baronium, nunc in tota Ecclesia celebrem, & de tota Ecclesia, & de nostra Societate optimè meritum. Ab hoc tempore cæpit vsque ad mortem confiteri ordinariè Cæsari Baronio, tanquam suo Præposito, cui per duos circiter annos confitebatur. Sed, et si continuare suas confessiones ordinarias coram nostro P. Perusco non posset (frequentibus infirmitatibus corporis, & ætate octoginta annorum debilitatus) longè distante à Domicilio Oratorij, solebat tamen per intervalla aliquoties in anno adire P. Peruscum, eique suæ conscientiæ statum in confessione aperire. Hoc didici, partim ex vita S. Philippi scripta à Baccio libro 1. capite 9. numero 3. partim audiui ab ipso P. Perusco, dum Anno 1596. eum comitarer euntem ad visitandum sepulchrum B. Philippi, & cubiculum in quo sanctè mortuus est.

## CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

*De Gloria quam S. Ignatio attulit Sanctus Cardinalis Carolus Borromæus.*

NON postremam S. IGNATIO gloriam attulit idæa perfectissimæ sanctitatis S. Carolus Borromæus Cardinalis & Archiepiscopus Mediolanensis, qui & S. IGNATIUM mortuum piè coluit, & eius Exercitiorum libello & vsu admiratam illam, toti mundo perspectam vitæ sanctimoniam peruenit, operaque Societatis à S. IGNATIO institutæ, perpetuò, dum potuit, vsus est; vt multis argumentis ipsque certissimis, apparet ex rebus gestis S. Caroli, editis ab eius domesticis Prælati, Ioanne Petro Giussano, & Grattarolio, & alijs.

Anno 1562. Cùm S. Carolus Sacris Ordinibus initiatus esset, ad offerendum Deo primum

Missæ Sacrificium se præparare volens, elegit pro hac re Domum Professorum Romanam Societatis Iesv, in qua Exercitijs Spiritualibus Sancti IGNATII Fundatoris excultus fuit. Ita refertur in libro Italico de Successibus venerationis S. Caroli edito à M. Aurelio Grattarola, in Oratione habita in Anniversario B. Caroli coram altero Card. Borromæo, Clero, & populo Mediolanensi, Anno 1602.

Idem S. Carolus, vbi ceremoniã ingenti prima Deo libamina obtulit, vt publicæ pietati inferuaret, secundum Sacrum, vt pietati suæ liberius indulgeret, in Domo Professæ Societatis Iesv pernoctauit, postridicque in Sacello priuato quo sanctus IGNATIUS vtebatur, Sacrum fecit. Sacchinus in Historia Societatis, par. 2. l. 7. num. 11.

Anno 1562. Initio Sacerdotij cæpit maiori vitæ austeritati, & frequentioribus præcijs incumbere, & exercitio virtutum. Qua in re, vt liber esset ab omni errandi periculo, accepit pro Duce vitæ suæ spiritualis, Patrem Ioannem Baptistam Riberam Societ. Iesv, Hispanum, magna virtute, experientiã, & doctrinã præditum, qui S. Cardinalem cùm Exercitijs Spiritualibus Beati IGNATII excoluisset, per veras, solidasque virtutes ducebat, exercendo in actibus perfectioribus earum. Quamobrem quotidie adibat Cardinalem in Palatio Apostolico propè Pium IV. auunculum suum manentem, diuque cum eo agebat. Quod videns humani generis hostis, & præuidens bona securura ex hoc spiritali profectu Caroli, concitauit præcipuos cognatos illius contra dictum Patrem, quem illius mutationis vitæ, in S. Carolo causam opinabantur, dolebantque à sæculari viuendi modo abhorre: ideoque exagitare irrisionibus, conuitijs, alijsque modis indignis Patrem illum cæperunt, vt ita à conuersatione cum S. Cardinali absterrent. Quod cùm aduertisset S. Carolus, per vias deinceps secretas, Patrem eundem ad se introduci curabat. Ita Ioannes Petrus Giussanus in vita Italica S. Caroli Venetijs impressa Anno 1615. libro 1. capite 5. pagina 14. columna 2.

Anno 1563. Cùm S. Carolus, factus Archiepiscopus Mediolanensis, sciret corruptissimos cleri & populi mores, eò quòd Ecclesiastici tam seculares, quam regulares peius viuerent laicis, publicis concubinatibus infames, sine clericali habitu, armis accincti, sine ornatu, & decore in templis, sine cognitione rerum necessariorum, ad eò vt multi curam animarum habentes, ne formam absolutionis scirent, nec casus referuatos, aut censuras, nec vnquam confiterentur ipsi, putantes se ad id non obligari, eò quòd aliorum confessiones audirent, & alijs scandalis essent pleni; laici verò ob infinita vitia, & contemptum rerum, ac Sacramentorum Ecclesiasticorum, & deplorandam rerum Diuinarum, & ipsius



& ipsius Orationis Dominicae ignorationem, in pessimo statu essent, volens ad eum corruptos mores suarum ouium corrigere, ante suum ad eos aduentum à Curia Romana, prae-misit P. Benedictum Palmium è Societate Iesv eloquentem, & maxime zelosum Concionatorem, cum aliquot alijs eiusdem Instituti socijs, tanquam praecursoribus, vt disponderent populum Concionibus, & Confessionibus ad deferenda vitia, & malam vitam praeteritam, ac recipiendam nouam disciplinam, & reformationem ab ipso delineatam, & valde expetitam. Quam ob causam à Pio IV. auunculo suo duo Breuia impetrauit, vnum ad Ducem Sessæ tunc Governatorè Status Mediolanensis, alterum ad Senatum, quibus Summus Pontifex exhortabatur, vt cõmodum Patribus locum assignarent, in quo suas functiones ritè obire possent. Dataque tunc eis fuit Ecclesia S. Viti in porta Ticinensium domo conducta. Giuffanus loco citato libro 1. cap. 9. pag. 22. col. 2. & l. 2. c. 1.

Anno 1565. In primo Concilio Prouinciali, quod Mediolani celebravit, ad reformandum clerum, & populum Mediolanensem, praesentibus vndecim Episcopis, & quatuor Cardinalibus, concionem Italicam habere iussit, P. Benedictum Palmium Societatis Iesv, de necessitate, modoque reformandae Ecclesiae. Giuffanus l. 1. cap. 11. pagina 26. columna 1.

Anno 1566. Praecipui Seminarij pro clero formando à se instituti curam inchoare voluit Patres Societatis Iesv: quibus Patribus utebatur in omnibus ministerijs Ecclesiae suae. Giuff. lib. 2. cap. 5. pag. 46. col. 1.

Anno 1566. Videns S. Carolus messem grandem, & operarios paucos, accensus desiderio habendi multos bonos, cum P. Palmio Prouinciali Societatis Iesv egit, de fundando Collegio Mediolam, & ita sine mora impetrauit à Patre Generali Societatis, bonum numerum personarum, praedictarum insigni bonitate vitae, & zelo ardentissimo Diuinæ gloriae, & salutis animarum: quibus assignauit templum Parochiale S. Fidelis cum aedibus contiguis, translata curâ animarum ad aliud templum. His postea Patribus utebatur in gubernando nouo Seminario, & in auxilio animarum, & in multis alijs necessitatibus. Siquidem (verba sunt Giuffani) tanquam pleni charitate, & spiritu Diuino, multaque doctrinâ, & prudentiâ ornati, erant efficaees, & feruentissimi in Concionibus, assidui, & diligentes in Confessionibus, & in omni ministerio Ecclesiastico. Giuff. lib. 2. capite 7. pag. 52. col. 1. & 2.

Anno 1569. Faciebat S. Carolus Exercitia Spiritualia Societ. Iesv, quolibet anno, per quod medium crescebat semper magis in feruore spiritus, & perficiebat se valde in sanctis virtutibus. Deinde bis in anno ea faciebat, & in hac consuetudine persistit vsque ad mortem, mul-

tos alios, praesertim ministros suos frequentes ad eadem Exercitia facienda inducens: quibus etiam suos dilectos Clericos in Seminario & initio ingressus, & ante Ordines Sacros excelsi voluit, & pro hac re in Canonicorum habitaculo, quoddam domicilium erexit, cui titulum inscripsit Græcum, Asceterium; id est Exercitatorium, Giuff. lib. 2. cap. 6. pag. 78. col. 2. Et l. 7. c. 11. p. 317. col. 1. Et lib. 3. c. 5. & 23. Et apud Grattatolam, loco cit. n. 1.

Cum templum Societatis S. Fidelis dicatum à S. Cardinali datum Societati, non posset capere multitudinem populi ad res diuinas concurrentis, ipse S. Carolus idæam noui templi ab excellenti architecto fieri iussit, & primum lapidem iecit, & sua liberalitate fabricam vehementer promouit. Giuffanus libro 2. capite 19. pag. 90. col. 2.

Anno 1572. Mediolani fundavit Collegium, dictum Breranum, Societati, in quo praeter humaniores literas, Philosophia, & Theologia praelegeretur, in quo suos quoque caros Clericos studere voluit.

Praeterea Abbatiam Aronensem, cum consensu Summi Pontificis Societati resignauit, & Nouitiatum eius Aronæ fundauit. Giuff. l. 3. c. 1. p. 123 & 124.

Cum pro educatione pia in Christianis moribus instituisset Collegium nobilium, prope Collegium Societatis, primum eius regimen commisit Patribus Societatis. Giuff. libro 3. capite 4. p. 132. c. 1.

Anno 1575. Euocatus Romam pro anno Iubilæi, disposuit se ad consequendam gratiam Iubilæi per Exercitia Spiritualia Societatis. Grattatola loco sup. cit. numer. 1. Giuff. lib. 3. c. 6. p. 139. columna 2.

Anno 1576. Cum impetrasset à Gregor. XIII. Iubilæum pro Ciuitate Mediolanensi, vniuersis operibus P. Ioannis Baptistæ Perusci Societatis Iesv, vt libellum ederet de modo consequendi Iubilæum. Giuff. l. 3. c. 8. p. 146. c. 1.

Anno 1576. Ad templum Societatis Corpora SS. Fidelis, & Carpophori Martyrum ex Abbatia Aronensi, reclamantibus licet incolis, solemnem ceremoniam transtulit. Giuffan. libro 3. capite 8. p. 147. 148.

A. D. 1578. Iturus ad visitandam in Sabaudia Sacram Christi D. N. sindonem, comitem itineris accepit P. Franciscum Adornum Societ. Iesv, cum P. Iacobo Crucio, vt in Exercitijs Spiritualibus, quæ in illo itinere facere volebat, illo direttore vteretur. Giuffanus libro 3. capite 5. pag. 216. c. 1.

In hoc itinere quotidie vesperi puncta Meditationis omnibus proponi voluit à P. Adorno, Giuff. lib. 3. col. 2.

Aliam Peregrinationem inchoaturus ad montem Varallum, mysterijs Dominicae Passionis ornatum, eundem P. Adornum adesse voluit, vt



ab eo dirigeretur in regimine spirituali vitæ suæ. Giuss. lib. 5. c. 6. p. 222. c. 2.

In hac peregrinatione dum Capellas memoriâ Christi Passionis ornatas visitaret, & mysteria Passionis meditaretur, puncta meditationis à P. Adorno accipiebat. Giuss. loc. cit. pagina 223. cap. 1.

Fundato Collegio Heluetico, voluit ut Alumnus illius Collegij, Scholas Societatis frequentarent. Giussan. libro 5. capite 12. pagina 238. col. 1.

A. D. 1580. Cum Florentiæ multi peterent, ut ex eius manibus SS. Christi Corpus reciperent, pro hac communione ipse templum Societatis elegit. Giuss. lib. 6. c. 3. p. 247. col. 1.

Venerijs rogatus, ut faceret Communionem generalem, ad satisfaciendum deuotioni vniuersi populi, qui id vehementer optabat, elegit pro hac re. Templum Societatis, in quo etiam concionatus est, ad instantiam Patriarchæ illius Ciuitatis, & Nuntij Apostolici, Giussanus ibidem.

Operâ S. Cardinalis, in Heluetia fundata sunt duo Societatis Collegia, Lucernæ vnum, & Friburgi alterum. Giussan. libro 6. capite 8. p. 265. col. 2.

A. D. 1583. Cum esset factus Apostolicus Visitator vallium hæresi infectarum apud Grisones, inter adiutores tam sancti operis verbo, & exemplo insignes, elegit P. Achillem Galiardum, & Societate Iesv, itineris comitem, eiusque operâ quotidie in explicanda fidei Christianæ doctrina utebatur. Giussanus l. 7. capite 4. pagina 300. col. 1. 2.

In dictis Vallibus, loco scandalosorum Sacerdotum pios reponere, volens pro bono illarum animarum, Oblatos S. Ambrosij à se institutos, sibi que carissimos, & alios à Societate Iesv reliquit. Giuss. l. c. p. 302. col. 1.

Ab eodem P. Achille Galiardi, pro instructione, & auxilio illius regionis curauit componi Catechismum fidei Catholicæ anno sequenti impressum. Giussan. libro 7. capite 5. pagina 305. col. 1.

A. 1584. Rogatus à Grisonibus nonnullis, ut pios Sacerdotes submitteret, à quibus in fide, & sancta vita iuuari possent, inter selectos tres Sacerdotes, vnum misit P. Franciscum Adornum, qui cum alijs plurimum eos iuuat. Giuss. l. 7. c. 6. p. 307. col. 1.

Ante mortem vltimo Mense facturus more solito Exercitia Spiritualia, iussit aduocari P. Franciscum Adornum Societatis Iesv, ut regeretur ab eius directione, & penderet ab eius obedientia, tanquam ab homine sanctæ vitæ & multæ experientiæ in rebus spiritualibus, & regimine animarum, quo solebat vti ordinariè in similibus necessitatibus. Giussan. libro 7. capite 11. pag. 317. c. 1.

In hoc secessu sacro, in quo S. Carolus ante

mortem Exercitijs Spiritualibus sub directione P. Adorni vacabat, ipse Cardinalis ante diem ferebat lumen P. Adorno, ut is deinde excitaret Cardinalis familiaria, quæ eadem Spiritualia Exercitia iussu Cardinalis ibidem faciebat. Târâ autem reuerentiâ prosequeretur S. Carolus P. Adornum, ut & cum magno silentio intraret in cubiculum Patris, ne cum à somno excitaret, & transiens ante eum, semper illi reuerentiam exhiberet capitis inclinatione, quamuis quandoque videret eum dormientem. Giussan. lib. cap. col. 2.

Rediens Mediolanum, Aronamque transiens, à cognato suo Comite Renato inuitatus ad prædium, quod ei præparauerat, recusauit, sed apud PP. Societatis hospitium habere voluit hæc solâ re se excusans, quod vellet manere apud istos Patres propter commoditatem auxiliorum spiritualium. Giussan. libro 7. cap. 11. p. 311. c. 1. Et in illo templo vltimum Sacrificium Missæ obtulit. ibidem.

In vltimis horis vitæ suæ in qualibet re exquirebat consilium P. Adorni, & dependebat in omnibus ab obedientia eius, tanquam Patris sui Spiritualis, & Confessarij, qui etiam moti sancto Cardinali assistit, Crucifixum in manu tenens, & res diuinas in memoriam reuocans. Giuss. lib. 7. c. 12. p. 322. c. 1. Er 323. col. 2. Et c. 14. p. 329. col. 1. Er l. 8. c. 3. pag. 359. col. 1.

Cum P. Adornus à Societate Iesv ad mortem ipsam S. Cardinali assistisset, tanquam eius Pater Spiritualis, & S. Cardinali mortuo ad Societatis Domum abiisset, eadem nocte ei S. Carolus apparuit, in Pontificio habitu, vultu læto, & gloriâ splendidus, & his verbis P. Adornum affatus est: Dominus mortificat & Dominus viuificat. Ego bene habeo, & tu citò etiam me sequeris. Et ita intra paucos menses P. Adornus Genuæ mortuus est, cum opinione Sanctitatis. Giuss. l. 9. c. 14. p. 329. c. 1.

Hoc etiam non contemnendum est argumentum, non vulgaris in S. Carolo de Instituto ac regimine Societatis Iesv opinionis: quod vti Societatis familiarissimus, eius ordinem perspectum habens, ad eius normam, quantum potuit totum domesticum suum, & familiæ suæ ordinem instituerit, quin etiam nomina ipsa, in Societate vtitata, præfectis domesticorum officiorum varijs, imposuerit. Qua de re videri potest Giussan. eius vitæ lib. 2. capite 3. & 4. & 5. & alibi.

#### CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

##### Quædam monita Spiritualia Sancti Ignatij.

Magno opus esset volumine, ad includenda omnia Spiritualia monita S. Ignatii, quibus



quibus & editos à se libros, & plurimas, quas scripsit epistolas, tanquam pretiosissimis gemmis ornauit. Hoc loco pauca tantum commemoranda sunt, & quidem ipsiusmet verbis, ut ipsi quæ de eius virtutibus ac miraculis, compendiosè narrata sunt, (omnibus breuitatis causa alijs quàm plurimis) respondeant.

1. Cùm homo creatus sit ad hunc finem; ut Dominum Deum suum laudet ac reueretur, ei que seruiens tandem saluus fiat: reliqua verò supra terram sita, creata sint, hominis ipsius causa, ut cum ad finem creationis suæ prosequendum iuuent, sequitur, vtendum finis vel abstinentiam eatenus esse, quatenus ad profecutionem finis, vel conferunt, vel obsunt. Quapropter debemus absque differentia nos habere, circa res creatas omnes, ( prout libertati arbitrij nostri permissum est, & non prohibitum ) ita, vt (quod in nobis est) non queramus sanitatem magis, quàm ægritudinem: neque diuitias paupertati, honorem contemptui, vitam longam breui, præferamus, sed consentaneum est, ex omnibus, ea demum, quæ ad finem, cuius gratia conditi sumus, nos ducunt, eligere ac desiderare.

2. Vnusquisque pius Christianus, debet prioriore animo sententiam seu propositionem obscuram alterius, in bonam trahere partem, quàm damnare. Si verò nulla eam ratione tutari possit, exquirat dicentis mentem: & si minus rectè sentiat, vel intelligat, corripiat benignè: hoc nisi sufficit, vias omnes oportunas tentet, quibus illum sanum intellectu, & securum reddat ab errore.

3. Primus gradus ad salutem necessarius est, vt me penitus subdam Diuinæ legi obseruandæ, vt ne mundi quidem totius oblato mihi dominio, vel extremo vitæ discrimine obiecto, transgrediar ex deliberato, mandatum vllum diuinum, aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget.

Secundus gradus est maioris perfectionis: vt fixo animo, ad diuitias, paupertatem, honorem, ignominiam, breuitatem vitæ ac longitudinem, æquè sim propensus, vbi æqualis est Diuina laudis & salutis meæ occasio. Vtque nulla, vel humana quantæcunque felicitatis, vel propriæ mortis conditione proposita, adducar vnquam, vt culpam licet venialem tantum, decernam admittere.

Tertius gradus est humilitatis absolutissimæ, vt priores duos iam adeptus, etiamsi nullo superaddito laus Dei par foret: ad maiorem tamè imitationem Christi, eligam potiùs cum eo paupere, spreto, illuso, pauperiem, contemptum, & insipientiæ titulum amplecti; quàm opes, honores, & sapientiæ æstimationem.

4. Ad benè quidpiam eligendum, nostræ sunt partes, vt oculo puro ac simplici, spectemus, quorsum fuerimus creati: nimirum ad laudem Dei, & salutem nostram. Quapropter

eligenda sunt ea tantum, quæ conducunt ad dictum finem: cum vbique fini medium, non medio finis debeat subordinari. Vnde errant, qui vxorem ducere primitus, aut Ecclesiasticum munus seu beneficium adipisci statuunt, atque ita demum Deo postea inferuire: vtentes præposterè sine ac medio, nec ad Deum tendentes rectè, sed obliquè ipsum, ad peruersa vota sua pertrahere conantes. Atqui è contrario planè agendum est: proposito primùm Diuino cultu, tanquam sine nostro, & electo deinceps coniugio, vel Sacerdotio, cæterisque rebus omnibus, quatenus expedit ad præfixum finem ordinatis. Idcirco nihil mouere nos debet, ad vtendum vel supercedendum, quibusvis medijs, nisi habità imprimis, tam Diuinæ laudis, quàm nostræ salutis, certâ ratione.

5. Ad bonam sine status, sine alterius rei electionem ( vt si deliberes erogare pecunias in homines genere vel amicitia coniunctos, aut quidpiam aliud, quod benè vel malè, iuxta circumstantias, fieri possit, efficere ) vehementer conducit, considerare, si quis mihi vir antea ignotus, & nunquam planè visus, cui tamen nihil non inesse perfectionis cupiam, occurreret dubius, super electione huiusmodi, quidnam ego illi faciendum & eligendum, ad maiorem Dei gloriam, & maiorem animæ illius perfectionem essem consulturus: quo animaduerso, id mihi agendum ducam, quod alteri suaderem.

Debeo in super mecum reputare, si mors ingrueret, quem me mallem obseruasse modum in præsentibus deliberatione, vel actione: iuxta huc igitur eligendum nunc mihi est.

Præterea prospiciam, quando pro tribunali sistar à Deo iudicandus, quo me consilio, hac in re vsum esse vellem. Quo agnito, nunc vtar, vt eo tempore magis sim securus.

6. Tempore tentationis seu desolationis, nihil deliberandum aut innouandum est, circa propositum animi bonum, aut vitæ statum, sed in eis perseverandum, quæ fuerant prius constituta, tempore Diuinæ consolationis. Quemadmodum enim dum fruitur quis consolatione Dei, non proprio suo sed boni spiritus instinctu regitur; ita obuersante sibi desolatione, agitur à malo spiritu, cuius instigatione, nihil vnquam rectè conficitur.

7. Fruenti homini consolatione Dei, prospiciendum est, quo se pacto gerere poterit, desolatione deinceps occurrente: vt iam inde criminiam & robur animi maturè comparet ad impetum eius reprimendum.

8. Sicut femina cum viro rixans, si hunc conspexerit erecto & constanti vultu sibi obistere, abijcit illicò animum ac terga vertit: sin verò timidum fugacemque esse animaduertit, in extremam surgit audaciam, & in illum ferociter inuadit; sic consuevit dæmon animo



& robore planè destitui, quoties spiritualementem athletam corde imperterrito, ac fronte ardua tentationibus videt reluctari. Sin autem trepidet ad primos impetus sustinendos, & quasi animum despondeat, nulla est bestia super terram inimico illo tunc efferator.

9. Inimicus noster morem insequitur nequissimi cuiuspiam amatoris, qui puellam vel uxorem alterius volens seducere, procurat, ut verba & consilia sua occulta sint: nihilque reformidat magis ac aegrè fert, quàm si puella patri suo, vel vxor marito, illa patefaciat: cum sciat hoc pacto de voris & conatibus suis actum esse, Ad eundem modum obnixè saragit diabolus, ut anima quam circumuenire cupit, ac perdere, fraudulentas suas suggestiones teneat secretas. Indignatur verò maximè, si cui vel Confessionem audienti, vel spirituali homini, molimina sua detegantur, à quibus ita excidere se funditus intelligit.

10. Solet etiam aduersarius noster imitari aliquem belli ducem, qui obsessam arcem depugnare ac deprædari cupiens, exploratâ prius munitione loci, debiliorem partem aggreditur. Sic & ille circuit animam, & callidè inquirat, quarumnam virtutum præsidij, moraliumne an Theologicarum, ipsa vel munita, vel destituta sit: eaque potissimum parte, machinis omnibus admotis irruit, ac subuertere nos sperat, quam in nobis, minùs cæteris firmatam custoditamque esse præiudicat.

11. Id moris est spiritui maligno, ut in lucis Angelum transfigurans sese, agnitis piis animæ votis, primùm obsecundet, mox inde ad peruersa sua desideria illam alliciat. Simulat etenim ab initio bonas sanctasque hominis cogitationes sequi & fouere; at deinde in occultas fallaciarum suarum pedicas paulatim tractum illaqueat.

12. Sedulò excutiendæ sunt cogitationes nostræ citra principium, medium & finem suum; quæ tria si rectè se habeant, Angeli boni argumentum est, cogitationes illas suggerentis: Sin autem per discursum mentis aliquid offertur vel sequitur, quod ex se malum sit, vel auocet à bono, vel ad minus bonum impellat, quàm anima prius quærendo sequi decreuisset, vel animam ipsam defatiget, angat ac perturbet, sublatâ quæ prius aderat, quiete, pace, & tranquillitate; euident tunc erit indicium, auctorem esse cogitationis eiusmodi spiritum malignum, utpote vtilitati nostræ aduersantem.

13. Dicebat S. IGNATIUS innocentiam vitæ ac sanctimoniam, multùm quidem per se valere, & cæteris rebus omnibus longè præcellere, sed nisi cum prudentia, agendique cum hominibus modò sit coniuncta, mancam fore atque infirmam, nec satis ad alios gubernandos idoneam: plusque sæpè exquisitam pru-

Lancicij Opusc. Tom. 2.

dentiam; cum mediocri sanctitate in gubernatione efficere, ut plurimum; quàm cum minore prudentia, maiorem sanctitatem.

14. Omnium mulierum familiaritatem, etiam earum quæ spirituales videntur, vitandam esse dicebat: sed earum maximè, quæ ætate, conditioneque periculosiores sunt: quarum ex consuetudine plerumque aut fumus sequitur, aut flamma.

15. Periculosum valdè dicebat esse, vnâ viâ omnes in via spirituali ducere, & alios ex se metiri, & ad eandem, quam vtilem ipsi sibi experirentur, viuendi orandiue rationem reuocare.

16. Profectum vniuscuiusque in via Dei cognoscendum aiebat, non ex fronte vultuque, neque ex facilitate quadam & bonitate naturæ, nec ex continuata preceatione, vel diuturno secessu, sed ex sui ipsius victoria, & affectuum rectæ rationi repugnantium compressione, ac præsertim ex mansuetudine & æquitate animi, in rebus repentinis & arduis, à recto statu non deficientis. Ideò licet piæ preceationis laude præcelleret ipse, semper tamen spiritum, quem vocant mortificationis, spiritûi speculationis seu orationis antetulit. Nam ut in eloquentiæ studio, cum & ars, & vsus ipse sit necessarius, longè plus tamen à sapientibus viris vsui, quàm præceptioni tribuitur; sic in paradisi virtutibus, cum & commentatio & actio requirantur, multò plus tamen agendo & pugnando, quàm cogitando proficitur.

17. Ad felicem omnium negotiorum successum, plurimùm prodesse dicebat, si quis in susceptis piis negociis, ita à solius Dei auxilio sperato pendeat, ac si nulla adessent humana præsidia: ex altera verò parte, si ita omnia humana, sed licita media adhibeat, ac si nulla essent accessura Diuina.

18. Superiores aliorum & Confessarios, dicebat debere imitari Angelos, qui in animarum sibi commissarum custodia omnem quidem diligentiam præstant, sed quicumque sit euentus, nihil de tranquillitate, nihil de beatitudine sua deperdunt.

19. Illis qui naturâ iracundi essent, magnoperè cauendum censebat, si cum aliis iracundis versarentur, facilè enim dissidia nasci. Proinde suadebat talibus, ante se comparare, ac sæpè meditari, qua ratione huic periculo resisterent. Quod non tantùm in præferuida natura faciendum putabat, sed in reliquis etiam vitij debellandis.

20. Si quis quid petat, quod tuæ personæ indecorum iudices, dicebat ab indignatione temperandum, & id curandum, ut & quod postuletur neget, & amicum tamen eum qui postulat, beneuolumque dimittas.

21. Religiosi hominis officium affirmabat esse, ab aulica vita homines ad Christum potius

fff



tius adducere, quàm in illam quenquam inducere.

22. Dicebat S. Pater : Si à Deo expetenda sint signa, multò plura & clariora expetenda esse de solis præceptis seruandis, quàm de seruandis consiliis: quoniam ad consilia Christus Dominus apertè hortatus est, contra verò in habendis diuitiis magnam ostendit difficultatem, magnumque ac certum periculum salutis: Matth. 19. v. 23. 24.

23. Summopere iuuat ad vitæ spiritualis profectum, omninò & non ex parte abhorre-

re ab omnibus quæ mundus amat & amplectitur, & admittere ac concupiscere totis viribus quicquid Christus Dominus amauit, & amplexus est, scilicet contumelias, falsa testimonia, & iniurias pati ac stultum haberi, nullà tamen datà ad id occasione.

24. Vt melius ad hunc perfectionis gradum perueniatur, maius ac impensius studium cuiusque sit, querere in Domino maiorem sui abnegationem; & continuam in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem,

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

